

Disputatio medica de corpulentia nimia. Submittit ... ad diem XIX. August, Anno 1681 ... / [Georg Melchior Widemann].

Contributors

Widemann, Georg Melchior, active 1681.
Ettmüller, Michael, 1644-1683.
Universität Leipzig (1409-1953)

Publication/Creation

[Lipsiae] : Typis Krügerianis, [1681]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/nqzrnwg2>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome
collection**

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISPUTATIO MEDICA
DE
CORPULENTIA
NIMIA

quam

Consensu Gratosissimi Senatus
Asclepiadei

SUB PRÆSIDIO

MICHAELIS ET TMÜLLERI

Philosoph. & Medic. Doctoris

Publicæ placidæque Philiatorum Disquisitioni
submitte

Autor & Respondens

GEORGIUS MELCHIOR Widemann/

Plaviâ Variscus.

Ad diem XI X. August. Anno 1681.

H. L. Q. C.

Typis KRÜGERIANIS.

DEPUTATIO MEDICA

DE

CORPUSCULA

MIMIA

DE

CAUSIS ET SYMPTOMATIBUS

A. J. J. J.

IN P. P. P.

ALPHABETICO

ALPHABETICO

ALPHABETICO

ALPHABETICO

ALPHABETICO

ALPHABETICO

ALPHABETICO

M. A. Q.

ALPHABETICO



PRÆFATIO.



Um non vivere, sed valere, vita esse, rectè dicitur, quibusvis valetudinis prosperæ cultoribus, illud HIPPOCRATIS 6. Epid. s. 4. §. 20 : *Sanitatis studium est, non satiari cibis, & impigrum esse ad labores.* oraculi instar merito inservire debet. Quantum enim pro con-

servandâ viâ, cujus omnis mora in perpetuo fluxu consistit, nutrimenti valet assumptio, tantum ejusdem diurnitati ac integritati detrahit nimia illius ingestio. Vigor pariter totius corporis, quem motus benè ordinatus conservat florentem, enervatur insigniter & langvescit sub otij, quietisve torpore. Alimento sanè refarciuntur quilibet, naturæ ex lege quos patitur machina corporea defectus, & attritu quasi mutuo, quicquid deperit ejus partibus, illius ope redintegratur: modo prius, quod minus illis associabile existit, per prævias alterationes digestionum beneficio, quibus utile, quod est, ab inutili secernitur, appropriatum redditum fuerit. Ast ubi infarciuntur nimiam fatietate digestionum officinæ, & obruitur vis fermentorum alterativa, haud

benè subacta assumpta, aliena sub texturâ hinc inde distributa, vitiant structuram naturalem organorum corporis, & ceu ædificium, ex lignis ac lapidibus non benè cohærentibus constructum, necessariò minatur ruinam. In quem finem finge automaton, cujus rotulam quendam vel pulvisculus casu illapsus in motu tantillum remoratur, vel cujus spiram aut alligatum funiculum & æquæ quædam guttulæ forsan irrorando, illam in elatere, hunc intensione alterant, vel cujus remoram altero sui extremo aliquantulum rubiginis sordidæ infecerit, quicquid horum contigerit, necesse est, deficere artificiosum adeò opus à regulari suo motu, & tandem penitus quasi exanimari. Nullum artificiosius fingi potest automatum, præ nostro corpore, cujus tot partium sunt particulæ, omnes ut sapientissimè fabricatæ, ita mille vitiis obnoxix, ut mirum videatur, vel per horæ momentum integram illam ex toto, citra morbosum defectum subsistere posse. Nil tamen æque lædit easdem, ac quod pro conservatione illarum subministratur nutrimentum, vitiatum si fuerit: cuius primarius error, est deficiens sub digestionibus coctio, maximam partem ab illius copianatus. Adeò plures necat gula quàm ensis: & cum totius *Diætes* cardo sit sobrietas, cum non tam qualitas, quàm quantitas alimentorum noceat, nihilominus in nullo crebrius peccatur, contra illius dictata, quàm hoc in puncto. Ut ut verò nullus hic committatur à sanitatis studioso excessus, quin tritum illud Germanorum benè observet, *wenn es am besten schmeckt / das Er auf höre*: nihilominus tamen quibuslibet in assumptis, ut supra insinuatum,

tum, præter homogeneous istud, nostris constitutivis assimilabile, & heterogenei haud parum apprehenditur, cujus sequestrationi maturæ incumbendum, cum non minus noxium retentum, quam ingestum vitiosum Oeconomiam nostram turbet. Huic negotio apprimè confert motus partium corporis organicus, cujus auxilio, dum agitantur vehementius contenta corporis fluida per universum corpus, eo ipso fortiori impetu & nisu subeunt tam intimiores recessus partium nutriendarum, quam etiam cribra percolationi recrementorum heterogeneorum dicata, per quorum poros illo ipso conatu penetrant copiosius secernenda, & ita facilius ac uberius separantur. Præsertim cum iste motus contentorum progressivus, intendat simul motum intestinum molecularum minimarum, quo ipso ut assimilatio & exactior subactio particularum homogenearum seu miscibilium ac nutritivarum promoveatur in iisdem, ita feculentia illæ heterogeneæ, ad instar istarum in musto vel cerevisia fermentantibus, ex aliarum consortio extruduntur, ut præcipitatae quasi secedant. Paucis me ut expediam, ut alimentum partium fluidarum immediatæ restaurationi objective, ita motus corporis, hujus assimilationi & purificationi instrumentaliter inservit. Adeo ut motus vicarius revera sit, cujusvis V. S. purgationis, alteriusque sanguinis correctionis, quod rusticorum & mechanicorum vegeta & robusta cohors, palam testatur. Cum verò rarò soleat observari conveniens diæta, quin sæpissimè assumptorum excessu, & excernendorum defectu peccetur, ea est Oeconomiae nostræ elegans directio,

ut quod superfluum est, modo haud nocivum sit, subinde largius solidis adhærescat, & carnis aut pinguedinis forma, uberius corpus augeat. Cum v. à naturali Norma hoc ipso deflectatur, vix citra periculum id fieri potest, uti in corpulentiori habitu omnibus obvium est. De quo affectu cum quædam pertractare sit animus, vires subministrante imprimis fidei DOMINI PRÆSIDIS, quæ olim cum aliis usus fui, informatione, cujus pariter consilio & auxilio, sub ipso hoc conatu non parum sublevatum me fateor, faxit

Deus T. O. M. ut
cedat

FELICITER.

CAP. I.

Pathologicum.

Art. I.

*Naturam & Subjectum Corpulentia Nimia
declarat.*

§. I.

COrpus humanum ex ovo enatum, ut primitus mole est admodum parvum, ita successive alimenti beneficio & sustentatur seu nutritur & augmentatur: actione eadem, in nutrimenti saltem quantitate majore vel minore differente; in solidis sane ejus partibus, de quibus speciatim nobis agendum erit, manifestum est, quod nutritio & auctio non nisi majoris & minoris ratione discriminentur, nutritio n. est talium inchoata auctio & auctio perfecta nutritio. Ne autem ambigua nutritionis acceptione decipiamur, imprimis monendum videtur, nutritionis rationem nunc à *sine* ejus à quibusdam, nunc ad

ab aliis à forma desumi: Ratione finis quidem nutritio erit absumptarum partium redintegratio seu restitutio. Sed angusta nimis hæc ipsa videtur. Solidarum enim partium, quæ talium, cum nulla sit absumptio, ut ut arescant subinde humoris roridi nutritivi defectu, nulla quoque foret earum nutritio, quod minus convenienter dici videtur. Ob id concinnius à formâ, ejusdem essentialis ratio desumitur, quæ sub acceptione nutritio erit, nutrimenti in substantiam partis nutriendæ conversio. Jam verò corpus nutritur per totam vitam, ut conservetur tale, quæ est, augmentatur verò saltem per ætatem accrescentem, ut partes organicæ, machinam ejus componentes, debitam magnitudinem acquirant, quæ aptiores sunt, ad actiones debitas, quarum sunt instrumenta, perficiendas. Vid. Charleton, In Oeconom. animali Exercit. de Nutritione §. 3. p. 4.

§. 2. Magnitudo partium debita, ex tribus dimensionibus quantitativis, longitudine latitudine & profunditate dimetienda, dependet à fundamentalibus partium staminibus, quæ nihil aliud quàm fibræ esse videntur. Harum adeoque longitudo, & major minorve extensilitas, quarumvis partium longitudinis normam præscribit. Ipsa ossa, quæ & universi Trunci & hinc artuum longitudinem principaliter determinant, cum pro eorum conformatione corpus plus minus procerum, artusque longiores aut breviores existant, & ipsa primæ sui compagis rudimenta à fibris habere, probabiliter videntur. Uti itaque textura fibrarum secundum extensilitatem in longum, longitudinis partium basis existit, ita earundem major vel minor numerus, ferè latitudinis ac profunditatis fundamentum constituit, quum pro earum copia majori vel minori, simul necessario vel amplioribus circumscribatur pars terminis, vel angustioribus coarctetur limitibus. Hisce ceu fundamentalibus ac formalibus dimensionis partium cujusvis causis, secundariò accedit, ceu materiale principium, ipsum partium nutrimentum, sui appositione & assimilatione quantitatem fibrarum, adeoque & magnitudinem partium, in specie ratione latitudinis & profunditatis, (quæ dimensiones diversimodè mutabiles observantur,

longi-

longitudine parum, ac raro variante) vel augmentans sui copioso
distributione, & retentione, vel imminuens sui defectu. Cùm verò
neceſſe ſit, ut hoc ipſum intra poros & interſtitiola fibrarum &
recipiatur & retineatur debito tempore pro ſui nutritivo complemento,
præſupponit hoc ipſo talem fibrarum illarum ſtructuram, quæ
ratione poculorum & promptè recipere, debiteqve retinere queat
hoc ipſum, adeoque nec durior ſit illa, nec mollior, cum hæc
nimii inſarctus, illa denegatæ receptionis, occaſionem ſubminiſtrent.

§. 3. Jam vero, ſicut in ſtatu naturali, magna corporum tam in
longitudine, quàm crasſitie eſt varietas, ex ſpiritu genitali ſeu
ſeminali, & inde dependente craſſi ſanguinis, & partium ſolidarum
radicali, originaliter, ex vario verò rerum nonnaturalium uſu,
conſequenter oriunda, ita m. præter naturam, tam pars una aut
altera, & hoc frequentius, quàm totum corpus, ut ut rarius, in
quanto nunc excedit, nunc deficit: prius docet *lien* raræ magnitudinis,
de quo *Herſtius Inſtit. Med. Diſp. 3. Coronid. 1. p. 131. Veſalius l. 5. de
corporis hum. fabr. cap. 9. Barthol. Cent. 1. Ep. 62.* Sicut deficientis
ejus molis exemplum ſuppeditat *Vitus Vidius L. 10. de Curationibus mor.
cap. 10. in Specie Salmuth Cent. 1. obſ. 21.* quæliu fœminâ *lienem*
adeò parvum, ut pollicem majorem vix æquaret, *hepar* verò tam
ingens obſervavit, ut non tantum hypochondrium dextrum occuparet,
ſed & omnem ventriculi regionem, ſicque ipſum ferè totum
hypochondrium ſiniſtrum, quæ tamen optima fruebatur ſanitate,
& in partu extincta fuerat. Conferatur pariter quoad magnum
Hepar, Hildanus Cent. 2. obſ. 45. Cor magnum obſervarunt
Marchettus Anat. cap. 10. it. Kerckering. Spicileg. Anat. Obſ. 16.
parvum vero idem *Obſ. 17.* ut reliqua viſcera ſilentio præteream:
*poſteriorum in gigantibus, it. pumilionibus ſeu nanis obviæ
deprehenditur.*

§. 4. Pertinet huc ſuo modo iſtud vitium totius in quanto, quod
Corpulentia nimia ſ. nutritio aucta vocatur, in quo corpus non
quidem in longitudine, ſed ſaltem latitudine & profunditate, ſeu
uno nomine, crasſitie excedit: & tales obſi. it. corpulenti pingves,
Germanice ſeiſte Wånſte / dicke ſeiſte Menſchen. Græc.

μεγαλοκόλλιοι dicuntur. Talium corpulentorum ac obeforum exempla, inveniuntur hinc & inde in libris Practicis. Speciatim *Sennertus Prax. l. 5 p. 1. c. 4. p. 21.* refert mulierem triginta sex annos natam, libr. 480. it. virum 600. lb. pendentes: & præterea p. 23. nobilem post febrim malignam, adeo obefum redditum, ut vix loco se movere potuerit. Videatur præterea *Platerus lib. 3. obs. p. 584.* *Tulpius l. 3. obs. c. 55.* *Timæus Lib. 6. cas. 1. 2. 3. p. 261. seqq.* *Marcellus Donatus l. 5. c. 2. hist. Med. Schenck. l. 2. obs. p. 218.* *Bartholinus c. 3. hist. 88. & c. 2. epist. 81.* *Panarollus Pentec. 4. obs. 31.* *Acerra Philolog. Cent. 2. hist. 92.*

¶ 5. Ex his exemplis facile patet, aliam esse corpulentiam nimiam à corpore quadrato, aut ab habitu εὐσαρκῶ, qui deficiente *Gorraeo in Definit. Med. p. 122.* talis est, quem nec gracilem dicere nec crassum possis. Tale namque corpus optimè dispositum, & cujus massa sanguinea in optima crasi constituta, omnes partes blando succo irrigat, & ita corpus succi plenum ac carnosum constituit, tantum abest ut crassitie functionibus impedimento sit, ut potius eas optimè, singularique cum robore & vigore perficere valeat.

¶ 6. Ea E. corpulentia nimia hic à nobis consideratur, cum corporis totius i. e. primariò Trunci, secundariò pariter artuum peripheria, in tantum à laudabili nutrimento est aucta, ut actiones, in primis, quæ ad motum pertinent, aut impediat, aut tollat, aut vitiet, aliisve nocumentis corpus mulctet. A tali namque soffocatos nonnullos recenset *Schenckius obs. c. 1. it.* *Timæus c. 1.* nocumenta nimix crassitie verò alia *Marcellus Donatus c. 1.* *Sennertus de Corpul. nim. p. 21. aliq.* quamplurimi passim. In primis obesos nimis & corpulentos difficiliter moveri, res notissima est. Cum namque ad motum, fibrarum musculorum systema componentium, requiratur contractio & abbreviatio, ut venter musculorum ex rhomboidea, figura, fiat ferè quadratus, quam insequitur ossis alligati circa articulum motio ad certum angulum, ac quoad situm ejusdem immutatio, non potest sane talis fieri contractio, si omnia ista spatiola nutritivâ materiâ sint repleta & infarcta, ossiumq; articulationes copiosâ pingvedine

ita circumseptæ, ut ejus obstaculo eadem flecti ac torqueri convenienter nequeant: ut ipsum taceam artuum nimiam pingvedine obessorum pondus, motui resistens. Non possunt non quoque vasa tam sangvifera, quam lymphatica, ob arctiorem sui compressionem, per partes extimas undique repletas & infarctas, angustari plus minus, & ita naturalis fluidorum horum circulus plus minus turbari, & periculosè nonnunquam sisti, adeoque ægritales subinde suffocari. Hinc quoque graciliora sunt corpora, eo eadem (cæteris tamen paribus) agiliora: unde funambulo aut agyrta, seu præstigiator, rarè est corpulentus & obesus, ita ut rarissimum sit convenientis agilitatis in corpore tam insigniter obeso exemplum à *Platero* cit. loc. adductum: & à *Cattiero*: *obs.* 13. ex *Strada* allatum.

§. 7. Augmentum hocce in corpulentia nimia, à legitima nutrimenti convenientis appositione fieri, modo dictum: ut discriminetur ita ab intumescentiâ corporis cachectica, & hujus intensiori gradu, *Leucophlegmatia* & *Anasarca*: in quâ ex vitiata alimentorum in chylum fermentatione, sangvinis vitiata crasis, (nam *cacochoylia* est mater *caeochoymix*) loco debiti nutrimenti, liqvamen crudum & viscidum partium poris suppeditat, qui eodem infarcti, instar pastæ non ritè fermentatæ, inflatæ & tumefactæ apparent, ita ut impedito sic debito lymphæ motu à circumferentiâ ad centrum, cachexiam & *leucophlegmatiam* presso pede *Anasarca* insequatur.

§. 8. Dum E. nutrimenti nimis copiosi appositione fieri corpulentiam nimiam diximus, qui non nisi successivè & pedetentim fieri solet, exclusam volumus subitanam corporis intumescentiam & inflationem, qualem mirandum exemplum recenset *Bartholinus lib. 5. hist. 12. it. eam quæ vel morsum Venenatorum animalium v. g. Aspidum, viperarum, lacertarum Serpentum River. 4. obs. 96. vel ictum & puncturam quorundam v. g. Scorpionum, Apum, vesparum, l. contactum* saltem mediante saliva, ☐a, aut halitu, ut *bufonum* aliorumque quamplurimum animalium, interdum insequitur. Quorum Venenum fermentativâ virulentiâ & Massam sangvineam & in specie nutritium succum seu ro-

rem

rem partēs solidas humectantem turgescere & quasi spumescere facit. Nec mireris. tam insignem effectum ex tantillo veneni, nam & modicum fermenti, integram massam fermentat; & spumæ ex cerevisia fermentante ebullientis modicum, magnam recentis cerevisiæ copiam fermentare facit: sic halitus fermentativus in Δ e circum volans vina fermentativo motu in cellis turbat, dum vitis floret: ast potentiora longè sunt animalium fermenta singulariter transmutativa, quorum vim vel fermentum & eum aut scabiosum in statu p.n. aut istud salivæ in statu naturali confirmat, de quo vid. *Deusignius Exercit. de nutriment. in corpor. elaborat. p. 8. & append. p. 303.* Quæ ipsa nobis in mentem revocant, litem istam nondum decisam, in quo præcisè venenum animalium consistat. Egregio conatu, & indefesso pariter ac accurato scrutinio, speciatim hic defudarunt *Fr. Redi, Medicus Florent. Italus, in Observationibus de Viperis, script. in Lit. ad Dominum Magalottum: quarum versio latina Mis. Acad. Naturæ Curios. anno I. annexa est. & M. Charas Pharm. Parisiensis, Gallus tr. Nouvelles Experiences sur La Vipere, quorum ille materiale hoc ipsum esse, & in liqore flavescente intra gingivarum vesiculas coacervato consistere; hic verò merè ideale illud, & ex iracundiâ & vindictæ cupiditate in bestia exurgere asserit: Pressè terens hoc ipso vestigia Helmontii, idem ante ipsum jam asserentis, cui & Zuvelferus in animadvers. ad Pharm. August. p. 212. assentitur. Utrique experimentis & Phænomenis hypothesin suam tueri satagunt, prout ex literis eorum mutuas & oppositiones & responsiones continentibus patescit, quarum Epitomen videre licet in Transactionibus Philosoph. Anglicis numero 66. 83. & 87. Componere equevidem litem hanc annis fuit Famosus Bourdelotius tr. Recherches & observations sur les Viperes etc. differentias animalium venenosorū & speciatim viperarum, venenitq; earundem, pro regionum varietate urgendo, & quod liqor iste flavescens, in regionibus calidioribus possit esse venenosus, qui in temperatis magis, aut frigidioribus, haut citra biliosos halitus efferatæ per iram Viperæ nocivus esse soleat: Vid. ejus Epitom. in Transact. Anglic. anno. 77. neutra tamen dissentientium pars hac ipsâ concili-*

ciliatione contenta esse videtur. Nobis interim priorem istam hypothefin, in materiali scil. principio fundatum esse venenoforum animalium venenum ceu probabilioriem complectere hac vice placuit.

§. 9. Hisce ceu spuris corporis intumescentiis, à corpulentia vera rejectis, legitimæ subjectum, seu id, cujus partis augmentò corpus ita increfcit, considerandum. Determinatum fuit superius, crassos esse eos, qui secundum latitudinem & profunditatem augmentantur, ita ut hic excludantur ossa, quorum extensione & augmento, longitudo tantum corpori accedit, donec sub accretione adolescentiæ, sensim indurata, omne augmentum ulterius excludant, adeo ut & reliquæ his annexæ aut circumscriptæ partes, nec longiores evadere possint, unde tam brevioris, quam procerioris staturæ homines corpulenti sunt. Molles E. quod attinet, & primo quidem internas, viscerum excrefcencia nimia, in obefis non, nec nisi per accidens observatur, & si unum alterumque viscus nonnunquam auctum fuit enormiter, hoc tamen peculiari tumore se prodens corpulentum neminem reddit: sicuti nec mulieres gravidæ, quarum uterina cucurbita extensa, simul abdomen attollit insigniter, corpulentæ dici nequeunt. Externas E. quod attinet partes, se offerunt musculorum carnes, cum superstrata pingvedine, & membranosis velamentis. Tegumenta communia, ceu reticularis texturæ corpora, ad investitarum partium se accommodant structuram, & ita *caro musculorum & pingvedo* remanent istæ partes, quarum respectu in primis corpus crassum, macre itidem ac macilentum appellatur. Idque ferè triplici sub differentia, nunc enim plus adeps, ut in obefis, nunc magis caro, ut in torosis aut lacertosis, nunc utrumque æqualiter, in corpulentis in specie sic dictis, augetur. Alàs duplex saltem corporis crassities statuitur una quidem *carnosa*, ut in sanguineis: alia *saginosæ*, ut in Phlegmaticis *vid. Forestus. l. 31 obs. X. Schol.*

§. 10. Pingvedinem quod attinet, hæc est pars ea, cujus nimium incrementum pingves & obefos reddit, etiam quibusvis partibus cæteris optimè & laudabiliter constitutis ac conformatis.

matis. Singulare autem quid præ cæteris partibus hæc ipsa
 obtinet, cum ambigere inter partes solidas ac fluidas seu humi-
 das, & mediæ quasi has inter naturæ esse videatur. Nam eo ip-
 so, quo citra omnem fluiditatem propriis suis terminis subsistit,
 & invicem solidâ formâ cohæret, adeò, ut cultro quoque scindi
 queat, vasis quoque sangviferis suis instructa sit, non potest non
 solidis partibus meritò annumerari. Dum vero fluidorum in-
 star, pro vario corporis statu, nunc copiosius coacervari, nunc
 absumi penitus, & liquefieri quasi sub febrium, præsertim acuta-
 rum, ardoribus, aut in gelatinam solvi, de quo *Miscell. Nat. Curi-
 os. anno 8. obs. 3. p. 54.* observatur, adeò ut corpus tunc perquam ma-
 cilentum reddatur, brevi tamen iterum pingvefaciendum, quin
 etiam naturaliter quibusdam animalibus loco nutrimenti, de-
 fectu ejusdem ordinarii inserviat, ut sunt *ursus, murmentum, glires*
etc. quæ per integrum hyemem intra latebras suas, dormien-
 tibus plus minus similes delitescunt, quorum copiosior æstivis
 mensibus coacervata pingvedo sustentat tunc temporis ea-
 dem: notabile hoc imprimis est in *Murmento*, quod triplex, item
 interdum quadruplex Omentum obtinet, unum instratum alte-
 ri, ex quibus quædam venas habent, ordinario tramite ad portam
 venam recurrentes, quædam v. carundem ad venam cavam ab-
 euntes, quo cordi sub penuria ista in hybernaculis immediate
 transmittant materiam nutritivam, quam sacculi adiposi abun-
 dantiorum reservarunt & quam ab arteriis receperunt, cum cor-
 pus totum succiplenius, in æstate vel potius autumno abunda-
 ret nutritio tali succo, ut eleganter hoc observavit *Perrault: Es-
 says Physiq. T. 3. c. 6. p. 293.* Præterea fluidorum instar debitis suis
 canalibus & ductibus, ceu vasis, coercetur, in specie ductus adi-
 poso dictis, prout constat ex accurata eorum anatomicâ recen-
 sione, *Anonymi Exercit. de Omento, pingvedine & adiposis ductibus, Te-
 tradi Epistolar. Anatomicar. Malpighii & Fracassati annexâ.* Hinc
 etiam nullæ propriè dictæ functioni inservit, cum nullam speci-
 alem habeat conformationem organicam seu mechanicam, in
 qua tamen potentia operandi partium solidarum consistit, quin
 vel ornatui, vel defensionis ac fotui aliarum partium tantum in-

membranas nonnullas laxiores coacervatus, sensim in pingvedinem incrassatur, circa fibras vero congestus, in carnem cogitur. Quod si his ipsis lociemus ea, quæ supra *Artic. 1. §. 2.* præliminariter quasi monita fuerunt, vel sponte, citra ulterius scrutinium devolvimur ad corpulentiam nimiam causam. Hanc enim proximam bipartitam facimus, eamque tam *materialem* succi nutritii insignem abundantiam, quam *occasionalem*, quarundam membranarum in specie, sic dicti panniculi carnosissimi & exterioris cutis laxitatem, & quasi nimiam mollitiem, uti & fibrarum nervearum plurium extensilem tenacitatem, & quasi porosam imbibendi aptitudinem, constituimus, his enim præsentibus causis, succus nutritius omnes partes ubertim humectat & irrigat, & præterea circa dictas partes sensim coacervatus & successivè inspissatus & coagulatus corpulentiam producit nimiam, De *Formali* seu *efficiente* causa, quæ forsitan associanda, tertio loco fuisset, inferius, pauca quæ monenda occurrent, attingenda erunt.

§. 2. Hæc ut fiant non nihil clariora, succi nutritii natura primo indaganda venit. Sangvinem nutrimentum esse corporis universale, & ita etiam scaturiginem pingvedinis, & carnositatis nimiam, Veterum unanimis, multorumque adhuc recentiorum est sententia. Vid. *Sennert. l. 5. Prax. part. 1. c. 4. p. 22.* & *Ferdinandus Confil. 82.* sed hanc opinionem non leviter concusserunt Angli, Vid. *Carleton Oeconom. Animal. Exercit. 5. de sangu. usu. Glisson. Anat. hepat. c. 45. p. 406. Ens Apolog. Circulat. sanguin. Contra Parisan. digress. 3. p. 69.* ut nihil dicam de *Willisio*: qui passim in suis scriptis quoad hoc punctum, consulendus venit. Quibus tamen se opposuit *Deussing. Exercit. de sangu. Usu. it. Steno. in observ. de Glandul. & novissimè Piens de Febr. p. 1. p. 153, 163.* ubi *Glissonii* & *Entii* argumenta in specie ventilat, aliique plures, quibus pertinacius Veterum vestigiis in hoc puncto insistere placuit.

§. 3. Illi ipsi E. duplex statuunt corporis nutrimentum, sangvinem unum, pro partibus sanguineis, & liquorem roscedum per nervos in partes derivatum, pro partibus spermaticis s. nervosis, & ita etiam pro pingvedine, ita ut causa obesitatis nimiam, futu-

futura fit abundantia talis succi per nervos influentis *Vid. Carleton &c. supra cit. it. Willis, Anatom. Cerebr.* Quibus acriter se opponit *Deusing. Exercit. de comment. succi nutritii per nervos influentis it. Bartholinus in Spicileg. de vas. Lymphat.* & sanè hæc ipsa opinio adeò paucis arrisit, ut nullos nisi ipsos Anglos & paucos quosdam Italos agnoscat defensores, & vix probabiliter persuaderi poterit cuidam, qui nervorum structuram substantiamque rectius paulò considerat. Quin modo materiam nutritionis, ab hujus causa efficiente, sive *universalis*, in quo puncto Spiritus animales influi omnino primariam mereri considerationem videntur, sive *particulari*, ritè discernamus, haud adeò difficilis ad argumenta illorum videtur responsio.

§. 4. Dubius jam erat, quoad nutritionem sanguinis usus, non minus etiam succus nervorum nutritius, en *E. novum Bilsi* commentum, à *Zassio* explicatum, & hypothesei *Helmontianæ*, quoad sextuplicem digestionem & quoad naturam & usum laticis applicatum, & quantum possibile à *Deusingio*, aurito tantum, minimè vero oculato teste, defensum *Vid. Deusing. Append. ad Exercit. de nutrim. elab. Bilsius E.* ejusque sectatores loco illius nervorum succi nutritii *rorem* substituit, hunc nempe liquorem, quem omnes reliqui *Anatomici Lympham* appellant: hunc rorem ex primis viis, ceu centro per vasa rorifera, (ab aliis *lymphatica*) in totum corpus, ceu circumferentiam, dispergi asserunt, ut veri partium spermaticarum alimenti vices obtineat, prætereaque partes sanguineas ita præparet, ut sanguinis nutritionem facilius suscipiant. Causa *E. corpulentia* nimia, juxta hanc opinionem, erit roris istius nutritii uberior copia, & laudabilior constitutio, quo ut uberius nutriantur partes spermaticæ, & copiosius succrescat pinguedo, ita etiam sanguineæ majus capiant incrementum, ob majorem aptitudinem per hunc rorem inductam. Sanè elegans admodum hæc est opinio, & per quam multorum phænomenon difficilium, tam in theoria medica, quam ejus praxi, facilis & perspicua possit reddi ratio, modo vera esset; Sed ea sufficienter rejecta est, ab omnibus ferè *Anatomicis*, in specie *Bartholino, Sylvio, Hornio*, & imprimis *Pauli*, in *Ana-*

rom. Anatom. Bilfiana, & quotquot unquam accuratius & curiosius vasa lymphatica, seu *Bilfi* rorifera lustrati fuerunt, dum clarè demonstrant, motum in his vasis contenti liquoris, contrarium esse *Bilfi*, & à circumferentia ad centrum, tandemq; ad cor procedere, præterea valvulæ horum vasorum, à *Ruyfchio* ipsi *Bilfi* demonstratæ, hunc tantum non obstupescerunt. Mortuo E. jam *Bilfi*, & sepultis cum eodem secretis ejus anatomicis, ac enchiribus, metuendus omninò simul & horum assertorum interitus.

§. 5. An E. sanguis solus corpulentos & succulentos nos reddit? Nequaquam, quin potius lac, ut nutrit infantes tenellos, ita etiam cum sanguine sustentat & corpulentos reddit robustos adultos. Chylus scilicet, ut genuina & legitima est lactis materia, ita idem sanguini in axillari sinistra permixtus & aliquoties circulatus, non statim abit in sanguinem, sed sub lactis suavissimi forma aut sanguini confusus, aut sub gelatina albicantis larvæ à sero, ceu nutrimenti vehiculo solutus, mediante vasis sanguifluis, in totum corpus distribuitur, omnesq; ejus latebras perreptat, partes nervosas seu spermaticas nutrit, & abundantior paulo à membranis receptus, per eas transudans, & superficie earum inhærens, in pinguedinem succrescit, dum interea sanguis reliquus temperatus, sanguinea parenchymata nutrit, & præ cæteris musculorum fibras copiosiori carne in crustat. Cui sententiæ præter alios adstipulantem vid. *Bartholinum Cent. 2. ep. 65. p. 612. it. Cent. 3 ep. 38. p. 141. Schneiderum de Catarrhis l. 2. p. 85. it. lib. 3. p. 95. Fr. Bayle. Dissert. 3. de usu lactis. Quo spectat etiam gelatina ista feri lactea Barbatæ, in eleganti tract. de Sanguine & ejus sero, quæ nihil aliud est, quàm chyli portio, sub feri tegmine occultata, tam pro nutrimento partium nervearum & his cognatarum, quàm pro aliis usibus per universum corpus distributa. Imo quicquid contra sanguinis asperitatem, pro succi nervei benignitate, in puncto nutritionis Angli tantoperè urgent, quamdiu intra materie nutritive limites subsistunt, optimè chylo, sanguini nondum assimilato, diuturno tamen cum eodem circulo certe modo alterato, applicari potest. Quæ ipsa non*

non parum illustrat experimentum, quo anserum probè saginatorum, mactatorum, sanguinem, ubi refrixit, albisimo lacte supernatante cooperiri constat; secus ac in iisdem non æque saginatis fieri observatur: v. *Borrichii Herm. Egypt. & Sapiens. p. 262.*

§. 6. Sane butyrofa lactis seu chyli (levis namque hæc intercedit differentia) substantia, similis quodammodo est (densiori saltem) corporis pinguedini, unde easdem ferè obtinent proprietates. Cum econtra sanguinea massa, asperior paulò ac Θ ino acrior minus commoda videtur, ut pinguedo ex ea generetur, & unde proprietates utriusque, in specie color (in sanguine adeò pertinax, ut quosvis alios potius, quam candidum ipsi conciliare queas, nisi totalem ejus corruptionem in pure, quod tamen solo ex sanguine constare, minus verisimile videtur, urgere velis, minus tamen huc quadrantem) in multis discrepant, hinc & sanguineis partibus immediatè nuspiam adhæret pinguedo, quin membranis tantum nervosis aduascitur. Unde & ea animalia, in quibus acrior sanguis, concitatori motu intestino, citius chylum in sanguinem, transmutat, parciolem habent pinguedinem, v. g. canis, equus, lepus, ast ea, quorum sanguis temperatus, blandius & parcius chylum transmutat, copiosè abundant pinguedine, suntque corpulenta ut porci, ursi: id quod similiter in genere humano obtinet. Hinc & aliquando observatum, quod talibus obesibus per umbilicum serofus quidam humor i. e. vehiculum cum contentâ gelatinâ lacteâ nutritia evacuatus fuerit, Vid. *Sennert. c. l. p. 22.* Sed hæc ulterius confirmabunt res naturales, & non naturales ad corpulentiam nimiam disponentes: de quibus infra,

§. 7. Massa E. sanguinea copiosior eaque minus Θ ina, acris & aspera, sed suaviter temperata existens & simul blando & dulci chylo, eoque copioso turgida, homines reddit corpulentos, ibi quidem carnem musculosam, hic substantiam pinguedinis notabiliter augmentando. Ut v. talis fiat, præter radicalem & feminalem sanguinis crasin, secundum quam &

chyli assimilatio, & solidarum nutritio, aliiqve ejus usus vari-
ant, multum momenti situm est in stomachi digestionem, qua-
lem scil. chylum hic ex alimentis fermentando producat, cum
fontalis stomachi digestio, rectè gubernatrix ceterarum, velut sibi sub
alternatarum, dicatur ab Helmont. tr. jus duumviratus §. 59. sæpè
namque occurrit Capucinus, longo jejunio gravatus, potuqve pauco
& parva cerevisia saturatus, crasso in. corporis habitum dotatus. Ex
adverso cernuntur edaces largoque mangonio educati, insigniter macilen-
ti: ut idem cit. l. loquitur. Variat n. non tantum in singulis animalium
specieb⁹ digestionis ratio, unde panis idè tot varia dat stereora,
quot animalia pane vescuntur, ex diversitate nempe digestionis,
sed unumquodq; etiam individuum humanum suam hic gaudens
specificam, differentiâ, determinatè modoqve ac ratione ab ali-
is individuis distinctâ, eadem licet assumpta digerit, unde &
eorundem major vel minor ad nutriendum aptitudo. Quo-
tidie scil. id observare licet, eadem alimenta, pro chylicatio-
nis naturali modo procedentis, vel p. n. læsæ ratione, illum
nutrire & sustentare, hunc verò lædere, secundum Hippocratis
istud verissimum Effatum, corpora impura quo magis nutri-
veris, eo magis læferis, uti & iisdem, hunc insigniter augmen-
tari, illum verò parum vel nihil mole corporis accrescere. Ra-
tio proximè in M. S. remotè verò & fundamentaliter in chylo,
hujusqve præparatione ac constitutione, investiganda, qualis
enim hic, talis sanguis, tales Spiritus (cætera omnia in oecono-
mia animali si ritè procedant) & tale per consequens nutrimen-
tum corporis.

§. 8. Haud latet nos equidem, multum aliàs hic tribu-
Hepati, cujus temperata constitutio, in specie calida & humida,
ut sanguini simili, eoqve propterea nutritivo insigniter, gene-
rando, ita consequenter tam carnis, quam adipis abundantia,
primariò interserviat, cum dogma tale præter Veteres scriptores
quosvis, in specie ex Sennerto cit. sæpius loc. p. 22. hauriri pluribus
queat. Sed quo minus huic assentiamur, impedimento sunt
binæ falsæ, quibus sententia hæc innititur, hypothesis, primò scil.
illa, de hepatis in sanguificatione principatu, deinde ista, de cali-
do nativo quarumvis actionum similium primario autore & ar-
tifice.

tifice. Nam quoad priorem illam, notum est, jamdudum hepa-
 ti publicas à Th. Bartholino ductas esse exequias: adeo ut ejus-
 dem defuncti, & exauctorati jam desperata videatur causa (vid.
 Th. Bartholin: sub hoc Tit.) ut ut D. Svammerdammius, *Anatomicus*
Excell. Amstelodamensis, secundum experimenta *Hornii*, Lugdu-
 nensium olim Anatomici dexterrimi, hepatis resuscitationi ali-
 quam opem ferre promiserit, in lib. de *Uteri muliebr. fabricis*. quod
 tamen, morte immaturâ præventus, præstare haud potuit; Con-
 tra quem tamen jam C. Bartholinus Junior calami aciem in hoc
 negotio strinxit, de *diaphragm. structur.* p. 64. Posteriores v. quod at-
 tinet, temperies illa partium calido nativo adscripta, ut conse-
 quens est vitæ, & effectus quidam potestatum vitalium, ita mi-
 nimè ipsi tanti ponderis functio, non nisi potentioribus agenti-
 bus conveniens, tribuenda venit, cum à sanguinis & spirituum
 influorum crasi, temperies ista potius dependeat, tantum abest
 ut ab hoc sanguis suam crasin ac perfectionem recipere debe-
 at. Concedendum est de cætero, prout bilificationi, (si loqui
 ita licet) præest hepar, hujus respectu non adeo negligenda
 esse in nostro negotio, ejus considerationem. Multum
 enim omninò in recessu habet, bilis debitè constituta, pro chyli
 debitâ perfectione, quâ vitiatâ, & vitiatus distribuitur chylus, &
 cacochymus generatur necessariò sanguis, ipse jam à debitâ crasi
 plus minus deficiens, prout istud hepatis circa bilem ex sangui-
 ne eliciendo officium, plus minus læsum fuerit. Uti itaque
 plurimum viscerum, pro chyli & sanguinis perfectione absolutâ,
 mutua & concinna est conspiratio, ita hæc inter hepar ferè pri-
 matum obtinere videtur; adeo, ut quo magis temperata & sôsa
 dulcis bilis ab eodem conficiatur, eo magis corpulentia augen-
 da, quò acrior v. & \ominus sior, eò magis eidem imminuenda con-
 ferre probabile sit. Quæ tamen latius deducere, præsens no-
 strum minimè fert institutum.

§. 9. Lactea hæc sanguinis massa, apta est, ut corpulen-
 tos nos reddat, modo aptitudo partium respondeat, quas copi-
 olo succo nutritio irrigare & circa quas in pinguedinem ac car-
 nem concrefcere assolet. Hæc E. est altera causa corpulentia:

proxima, nempe pororum & spatiolorum amplitudo, inter fibras partium molliores paulo, ac speciatim circa membranas, partiumq; harum mollities, & obsequens tenacitas, circa priores n. illas carnem, circa has posteriores verò concrefcere pinguedinem, notum est; idqve tamqvoad fibras & membranas partium internarum, in specie ab dominis & thoracis, quàm primario circa membranas externas, intra panniculum carnosum & cutim, fibrasqve musculorum trunci & abdominis. Quantum enim receptivitas nutrimenti uberius harum partium, in qualitatibus istis fundata, momenti ad corpulentiozem habitum, seu copiosiozem nutritionem conferat, vel ex ossibus addiscere licet, quæ semel duritiem ac robur debitum ubi acquisiverint, ulteriori incremento aut quavis in dimensionem extensioni inepta evadunt: Fracta v. ob pororum p. n. ampliozem capacitatem, & interstitia fibras inter induratas, in loco fracturæ spatiofiora, uberius nutrimentum mox recipere & retinere observantur, quod in callum sic dictum, subinde insignis magnitudinis, tandem abit. In Corpulentiori itaqve habitu, dum lacteus sanguis ad partes modo dictas alluit, earum porulis sese infinuat, & dum musculorum & panniculi carnosæ fibræ sanguine augetur, ipsæ membranæ musculorum lacteo nutrimento implentur, cujus abundantia externè cutim versus transfudat, quia internè fibris musculorum sanguine vestitis adeò commodè adhære nequit; ipsa vero cutis, ex extremitatibus capillaribus arteriarum, venarum & nervorum reticulatim contexta, dum per glandularum minutarum ipsi intertextarum excretoria vasa, ut & si qui sint præterea, poros in specie sic dictos, insensibilis transpirationis materiam vaporum forma transire permittit, crassiusculum lacteum nutrimentum cum sanguine allatum externorum pororum angustia cohibet, quod ita introrsum versus coërcitum successivè in corporis peristroma adiposum densatur.

§. 10. Passivæ fuerunt, ut sic dicam, causæ corpulentia nimia, quas hætenus pertractavimus, cum objectum materiale, uberius nempe nutrimentum, & subjectum recipiens, la xi-

or scil. fibrarum & membranarum textura, saltem considera-
ta fuerunt. De formali v. seu efficiente, quod nutrimentum
copiosius dictis locis assimilat & aglutinat, altum huc usque
silentium. Sed cum efficiens corpulentia nimia, seu nutri-
tionis p. n. aucta, idem omnino existat cum eo, naturaliter quod
nutrimentum assimilat, hoc ipsum simpliciter ex physiologicis
presupponendum fuit, cum nihil peculiare in pathologica,
hac consideratione, de eo monendum occurrat, siue animam,
siue spiritum influum, siue insitum, siue fermentum, siue Ide-
am, siue acidum, siue calidum innatum, majori subinde ver-
borum, quam rerum differentiâ, illud asserere velimus. Hoc
saltem vel obiter monuisse sufficiat, 1. *Cerebri & Cerebelli* ho-
rumque ut sic dicam, influentia, non parvam in nutritionis
& augmentationis negotio efficaciam esse formalem, ut vel di-
storti, gibbosi, luxati, paralytici &c. persuadent, 2. Præter,
tamen efficiens nutritivum totius corporis, & quasi universa-
le, particulare præterea in quavis parte singulari necessariò re-
quiri quasi insitum, ratione cujus universale illud principium
determinetur ita, ut idem nutrimentum in hujus partis sub-
stantiam præcisè convertatur, quod in aliâ, in aliam quoque, &
quidem specialem illi parti naturam, abeat. 3. modum illum quo
nutrimentum ex fluido in solidum abeat, sub assimilationis
actu in nutritione, vix clarius concipi, & evidentius explicari
posse, quam per coagulationis rationem cujus primaria instru-
menta quasi mechanica, ut aliarum plurium in corporibus
mixtis mutationum, sint duo illa acidum & alcali (seu terr. vol.)
animalibus tamen, specifica.

Art. III.

Causas remotas indagat,

§. I

Fuerunt hæc causæ proximæ, remotas quod attinet ad cor-
pulentiam nimiam disponentes, ex omnes in hoc conspi-
rant, 1 quod aut massam sanguineam temperatam & la-
tescentem, aut fibras tam carnosas, quam membranaceas non
nihil

nihil molliores, & quasi laxiores reddant, unde pororum facili-
or dilatatio, adeoque recipiendi ac retinendi copiosum nutri-
mentum prompta aptitudo 2. quo multum nutritivi addant
corpori, parum verò eidem detrahant. *Constitutio Spirituum*
& massæ sanguineæ radicalis seu seminalis, taliter temperata, quæ
blando motu intestino, quasi fermentativo, moderatè cor-
pus incalescere facit, succumque nutritivum minus citò atte-
nuat, aut quasi colliquescit, sed potius chylum tardius sibi
assimilat, ad corpulentiam imprimis facit, & hoc est quod
temperamento calido & humido vulgò attribuunt. Naturâ
scilicet quidam præ aliis dispositi sunt, ut corpulentiores eva-
dant, adeò ut reperiantur familiæ, quæ plures corpulentos, si-
cut aliæ quæ proceros, aliæ quæ minores progenerare solent.
Scilicet sicuti vegetabilia inter, sub eadem specie v. g. arborum,
quædam lege naturæ proceriores, aliæ humiliores, aut fructu-
um quidam crassiores & grandiores, alii minores, & depressio-
res esse solent, per traducem feminalem quæ proprietates ulteri-
us eodem modo multiplicatur, ita vegetatio animalium simi-
li ratione prima fundamenta ex seminalibus primordiis omni-
nò haurit. 2. *Ætas ascendens & consistens*. In talibus n. nutri-
mentum, quod sub accretionis annis in augmentum corporis,
in specie quoad longitudinem non omne impenditur, coacer-
vatum successivè corpulentos ferè reddit. Non secus ac in-
fantes ut plurimum corpulentiores, ob nutrimenti lactei uber-
tatem & ob fibrarum extensilitatem, pororumque amplitudi-
nem observari solent. Ex quibus facile ac sponte ferè patet,
quare 3. *fœmine præ maribus magis corpulentæ sæpius fieri sole-
ant*. Id quod effectivè per temperamentum frigidius vulgò
explicare solent. Quo ipso nihil aliud insinuatur, quàm con-
tentorum corporis crasis magis temperata, ex quâ minor ca-
loris effectus procedit, quàm in maribus, in quibus illa vola-
tiliora & acriora ferè esse solent.

§. 2. Inter res Nonnaturales, primum occupat locum,
*Aër temperatus, aut saltem minus æstuans, hinc tempus hyemale & ver-
nium*: his n. anni tempestatibus succi nutritii major abundan-
tia

dantia : nam sub frigore hyemali fumus ordinariò edaciores, contenta quælibet spissiora & respectivè magis condensata existunt, & tamen ob ambientis conditionem, ex pororum majori conniventia, corpus minus exhalat: vernò vero sub tempore sanguis turgescens, instar vini recentis, copiosum nutrimentum chylosum generat & suppeditat. *Regio temperata*, in primis non nihil borealior; qualis enim aër, talis ut plurimum massa sanguinea: hinc Germani corpulentiores Gallis & Italis. Aër frigidus item crassus, magis ad corpulentiam disponit, quàm subtilis, id quod & antiquitus observatum: sic enim Boetii sunt pingves, id quod innuit *Nepos in Alcib.* & *Horatius L. 2. Epist. 1. ait:*

Boeotium in crasso jurares aëre natum.

Subtilis enim volatilem nimis massam sanguineam & nutrimentum corporis nimis volatile & tubtile reddit, unde facilius postmodum ac copiosius insensibiliter dissipatur.

§. 3. Quamvis *Losio*, Societatis *Jesu* Theologo, in libro suo dietetico, cibi & potus mensuram, quâ unicuiquæ suam portionem singulis diebus admetiri conatur, relinquamus: cum universalis mensura determinari nequeat, partim ob idiosyncrasia, partim ob vitæ generis varietatem, alias ut taceam circumstantias, nihilominus tamen certum est, quod *Cibus & Potus* copiosior, aut magis temperatus, & ob id uberior nutritivus, multum hic valeat: modo stomachi digestio una conspiret, ut supra monitum. Hinc enim ex omisissis gravioribus exercitiis, sequente otio & lautâ victus ratione, molem corporis cujusdam immodicè auctam, refert *Trincavellus lib. 3. consil. 101.* *Panis* præsertim multum confert, qui non tantum per se admodum nutrit, sed etiam liquefcens in cremorem, propter acidum fermentativum in panificio susceptum, & beneficio salivæ in masticatione resuscitatum, instar appositi fermenti, aliorum alimentorum digestionem, ut magis evadant nutritiva, adjuvat. Hinc etiam panis, re & *Theriaca alimentorum* audit. *Vid. Helmont. tr. Victus ratio.* Confirmatur exemplis à *Cattiero obs. xij. & xiiij. p. 45. & 46.* (*Borelli observat. annexis*) allatis, ibi quidem quantum panis dosis aucta, ad laudabiliorem corporis habitum, hic vero quantum eadem im-

minuta, ad gracilitatem disponat. *Passula Corinthiaca* dictæ, pingvescere dicuntur *Joel in praxi it. Riverio obs. 43. Cem. 4* sunt enim revera succi perquam temperati, (cujus respectu vulgo calidæ & humidæ dicuntur, quin & Veteribus hepar corroborare: Hinc quibusdam decoctum passularum cum Rad. Cichorii in Marasmo seu contabescencia corporis, est perquam conveniens.) qui asperitatem & acrimoniam Sinam masse sanguineæ emendat, indeque ipsi talem crasin largitur, quâ aptior redditur uberiori nutritioni.

Post Passulas *Semina* *Sosa temperata*, ut amygd. dulc. pineæ, pistaciæ, it. mucilaginosæ & reliqua farinacea, milium, hordeum, triticum, similiter nutriunt: unde & Cerevisiæ, primario triticæ hinc & hordeaceæ sunt nutritivæ.

Lactis & butyri uberior usus, ut atrophici scorbuticæ medetur, acrimoniam sanguinis acidulam vitiosam temperando, & emaciatos quosvis ac tabidos denuò pingves reddit: ita omnibus hominibus sanis, qui reddi corpulentiores amant, insigniter convenit: en quam pingves & succulentos facit infantes? in primis lac muliebri, quod & semen genitale augmentat, & in Qem armat, *vid. Forestus*. Unde lac equinum, cum paucis saccharo ad atrophiam ex philtro commendatur ab *Hartmanno*. Accensenda his sunt, ova recentia mollia, carnes pullorum gallinaceorum, aliorumque juniorum animalium partes, earumque gelatinæ, & sexcenta alia, quæ quò temperata magis, & mucilaginosiora, eò potentius nutritiva, & corpulenticiæ augmentativa.

§. 4. Somnus & quies insigniter impingvant, existunt enim tunc fibræ laxæ, ceu in figurâ mediâ constitutæ, porique ac interstitia sic erunt quoque ampliora: præsertim cum tunc demum assimilationis actus & motus sit in vigore, cum omnis localis motus cessat, qui eum obturbet: ut rectè hoc deducit. *Fr. Bac. de Verulamio? Hist. Vit. & Mort. §. 4. p. 155.* Nam vigiliis, & in specie crebriori motu, agitata & circulata massa sanguinea celerius, fermentatione ejus intensiori reddita, incalescit insigniter, & ita colliquefacit succum nutritium, eumque ita tam insensibiliter, quam sudore tenuis dispergit. Videmus hoc in urfis, hystricibus, muribus

bus montanis, similibusque animalibus, quantum quies & somnus valeant, qui tempore hyberno in latebris quiescentes somno sepulti, in speciem crassiores & pingviores evadunt: partim quod intra omentum, aliaque viscera interna, collecta pingvedo, de quo supra, successive attenuata, sub nutritionis partium nervosarum munere, indeque & alia quoque in loca distribuitur, & ibidem sub torpore illo agglutinata, aliqualem copiosioris pingvedinis speciem repræsentet: partim quod sanguis eorum, ex voracitate prægressæ ætatis, chylo crudiore abundans. hunc quantum ejus possibile sibi assimilatum, in nutrimentum partium sanguinearum impendat, crudiore & quasi pituitosiore ejus parte, partes solidas obsidente, & sub habitu plus minus Leucophlegmatico, corporis peripheriam occupante, ac speciem corpulentioris habitus repræsentante. Id quod facile fieri contingit, dum sub ista quiete, & rarâ respiratione, tardior est motus sanguinis localis, remissior intestinus, unde tardissima sanguificatio, paucissima transpiratio, parcissima nutrimenti absumptio; Conf. quæ habet *Pechlinus de Aëris & alim. defect. p. 67. & 68.*

S. 5. Quoad excreta, si eadem, in primis per ☐ & sudores, sint pauciora, corpus pingvius reddunt; cum n. serum vehiculum sit alimenti, eo copiosius excreto, nutritius succus simul uberius evacuatur. Præter cætera omnia, excreta quæ ea imminuta, corpus crascescere faciunt: animalia hoc testantur, quæ eodem tempore, quô cessant à se, pingvia evadunt; ast urgente seminis orgasmo, stato tempore, quando quæ inhiant, emaciantur: ratio est, partim quia blandior chylosus & nutritivus succus M. Sexæ detrahitur, & in supplementum seminis impenditur, partim quia à Spiritibus genitalibus, aut singulari testium fermento, sanguini permixto, hujus massa infinitè quasi effervescit, unde acrior, volatilior & calidior ea facta, minus nutrit, dum promptè nimis, quicquid chyli (tunc temporis ob simul alteratum & acrius redditum ventriculi fermentum) minus nutritivi ipsi distribuitur, assimilatur: His scilicet ex causis, noviter maritatis, Tabes dorsalis est frequens, & Veterinarij è contra, castrando

do bruta, eadem esui aptiora reddunt, quia pingviora & succulentiora evadunt. Perinent huc alia consuetæ, præsertim sanguinis, evacuationes suppressæ: Quâ ratione mulieres post cessantem menstruam uteri hæmorrhagiam aut deficiente conceptione, aliàs solita, habitiores fieri, & notabiliter subinde excrescere solent. Ut taceam Spirituum influorum sub & eis actionibus dispendia, quorum defectu, quælibet actiones torpent, unde & coctio partium privata quoque ab iisdem minus commode perficitur.

§. 6. His tandem conjungendi sunt Animi affectus, qui moderati, aut nulli, adjuvant corpulentiam, quibus minus agitata M. Sea blando motu circulatur: gaudium moderatum conducit. Ira nimia, curæ nimia, non minus quàm motus aut vigilia, macilentos reddunt. Ratio ex hæctenus dictis, collectu facilis est.

§. 7. Ex Rebus Præternaturalibus, nil est, quod pingves reddere valeat, nisi per accidens nonnunquam febribus corpulentia succedat: quale exemplum habet *Senertus Lib. 5. Prax. p. 23.* quatenus per febrilem effervescentiam, principis suis activis Θ inis admodum depauperata. Ma Sea, quicquid recipit chyli, sub remissione, tam progressivo, quàm intestino motu, tardius assimilatur, minusque de eodem insensibiliter dimittit, unde temperata eadem facta & quasi semilactea, arefactas fibras & membranas uberius humectat, & rore nutritivo mitiore, & respectivè uberiore perfundit, unde corpulentior habitus extimifacies.

§. 8. Signa hic addenda essent diagnostica, sed ea per se sunt patula, non secus ac distinctiva ista, quibus ab aliis affectibus discernitur, quæ ex Cachexiæ & Anasarçæ ac Leucophlegmatiæ historiis innotescunt adeò ut recensendis iisdem, commode supersedere queamus.

CAP.

C A P. II.
THERAPEUTICUM.
ART. I.

Signa Prognostica exhibet.

§. I.

Quam periculofissima secum afferat incommoda, nimia corporis humani corpulentia, verbis *Avicennae septima quarti tract. 4. cap. 5.* delineare placet *Sennerto lib. V. Prax. c. 4. P. 23. it. Galeno Lib. 3. de differ. morb. c. 9.* quibus adde quæ habet *Marcell. Donatus Hist. Med. Mirab. l. 5. c. 2. p. 537. Hippocr. aph. 3.* vocat *Gymnasticorum evexiam*, si ad summum plenitudinis gradum sit perducta, periculofam. Hinc ejusmodi homines, magnus ille Græciæ Dux, *Philopoemenes* teste *Plutarcho*, in vita ejus derisioni habuit, cum ignominia & probris, quod quanto plus corpori accedat, tanto plus quoque periculi accedat, & securitati decedat, & quod vasta corporis gauderent mole, quæ ad res gerendas & ad sanitatem tuendam est incommoda. Quam non solum motus & operationis impedimentum, sed & respirationis, alias inter causas, vel saltem obviarum interceptionem, difficultas comitatur. Nec ad longinquos perveniunt annos, ast brevioris ut plurimum sunt vitæ teste *Hipp. aph. 2. 44.* Qui natura valdè sunt crassi, celerius moriuntur, quàm graciles. Expositi quippe sæpius sunt, alia ut taeciam mala plurima, paralyfi, aut subito suffocantur, vel apoplexia tandem extingvuntur. Id quod vel bina ista à *Timeo Lib. VI. cas. 2 p. 262.* observata exempla sufficienter confirmant. Quicquid enim ad summum pervenit, inquit *Seneca (de Republ. 2. lib. 2.)* ad exitum properat. Ignis quo clarior fulsit, eò citius extingvitur. Hinc dicebat *Cornelius Celsus*, si plenior quis & speciosior, & coloratior se ipso factus videatur, suspecta habere sua bona debet. it. *Livius*, prævalida corpora, ab externis causis tuta videntur: attamen suis ipsa viribus onerantur. Quare rectè *Quintilianus*, Prærior omni fame sagina. In *Protreptio λόγῳ fol. 2.*
¶ *precedentibus cap. 7. Co.*

D 3.

§. 20.

§. 2. Quamvis etiam nonnulla prostant exempla, obestatem interdum minimè obesse prolificationi, uti hoc urget *Timæus c. l.* nihilominus obesos nimis & admodum pingves, raro est prolificos, ob rationes præced. Artic. allegatas, cum *Avicenna supra citato loco, Hoefero in Herc. Med p. 300, Andr. Laur. in Anatom. f. 218,* aliisque statuendum videtur.

ART. II.

Methodum Medendi præscribit.

§. 1.

UT removeatur E. impedimentum functionum partim, partim periculum vitæ ac sanitatis, quod ex corpulentia nimia imminet, hæc sanè ne fiat præcavenda, aut jam præsens maturè curanda. Utrumque obtinemus, si impedimus, ne adeò copiosum generetur nutrimentum, aut si id genitum sit, ut promptè removeatur, antequam partibus nutriendis sui assimilatione sese affigere valeat: aut si iis jam assimilatum plus minus fuerit, ut denuò resolutum & colliqvatum, seroque abluenti involutum foras amandetur. Sic enim fiet, ut ipsæ fibræ, tam carneæ, quàm in specie membranas contexentes, defectu succi copiosioris, quo antea deliniebantur, & blande humectabantur, indeq; laxiores & extensiliores fiebant, non nihil arescant, & quodammodo exsiccentur, ut ita contractiores redditæ, ob poros interceptos angustatos, uberius nutrimentum excludant. Præsupponendo ubique efficientis ratione, omnia ista media, quibus spirituum vis utcunque infringi, & à tertiæ digestionis negotio alienari potest.

§. 2. Alimenti copiam impedimus. 1. minuendo assumendorum quantitatem, 2. corrigendo eorum qualitatem, ne adeò sint temperata, nec copiosum nutrimentum suppeditent. 3. alterando, stomachi sub digestionem, chylum, ne adeò insigniter nutritivus, sed potius absterfivus aut diureticus generetur. 4. immutando Mæ sæ crasin, quo ex temperata dulcescente, acris, aspera, & inaque non nihil evadat, quò chylus partim promptius subigatur partim ad celeriores sui exclusionem tam sensilem, quàm insensilem disponatur.

§. 3. Genitus v. jam succus nutritius s. assimilatus, five assimilandus adhuc, evacuandus ex corpore, five *immediatè*, quo faciunt omnia ea, quæ Seam Mam exhauriunt; five *mediatè*, dum prius altenuatus, resolutus & liqvefactus, sub specie five excrementorum alvinorum, five Urinæ, five sudoris, five salivæ, five insensibilis transpirationis copiosioris, aliisve modis excludatur. Naturaliter eqvidem tales excretiones excrementis tantum œconomix Microcosmi hostilibus destinatæ sunt, sicuti autem p. n. coacta natura, non raro per eas & utiles succos, alteratos tamen non nihil evacuari permittit, in excretionibus Symptomaticis ac colliqvativis: ita & Medicus non raro iisdem simili pro scopo abutitur.

§. 4. Dubitare eqvidem aliquis possit, an corpulentia jam facta tolli, & id quod de nutritio succo jam in substantiam carnosam & adiposam mutatum est, denuò evacuari possit, nisi crebrior experientia id jamdudum confirmasset. Sub febris ardentibus, pingves & carnosissimi, insigniter emaciantur. Scorbutus atrophiam in corpulentis comitem ducit, non minus quam viscerum interiorum exulcerationes, tabidos reddunt antea corpulentos. Notum similiter, qui ex vitâ sedentariâ laboriosam subito ineunt, successivè emaciantur. Præ cæteris per Urinas, quosdam omnem suam corpulentiam exuisse, crebra experientia confirmat. V. *Helmont. tr. jus duumviratus §. 59. it. Latex §. 44. Schenck lib. 3. obs. p. 456.* Et confirmant hoc speciatim *Diabeti* correpti, qui mirum quantum breviter emaciantur. Post diuresin largior imprimis est diaphoresis, quæ sudoris sub facie corpulentos emaciat. Quam citò enim febricitantes, crebrius qui sudant habitum crassiorem exuunt. Qui dietâ lignorum sudoriferâ utuntur, notabiliter quoque aqualiculum deponunt. Hinc sub vehementioribus exercitiis corporis, qui copiosius sudant, magis magisque extenuari solent. Salivationem denique quod attinet, non tantum in cura luis *Sex*, per inunctionem Mercur. cerebrâ salivatione corpora insigniter emaciantur. Sed in specie pro detrahenda obesitate nimia, per Mercur. dulcè ptyellimus felici eventu institutus, & pro eadem intentione aliquo-

ties

ties eodem semper cum successu reiteratus fuit, teste *Borichio* in *A. M. H. Vol. 1, obs. 74.* Pertinere huc quoque videtur, quod refert *Borellus cent. 11. obs. 11.* nimiam corporis crassitiam & pinguedinem, masticatione continuâ foliorum *Tabaci*, curatam. Id quod vix alia ratione, quàm per crebriorem ptyelisinum contigisse videtur quo & ipse *Borellus* inclinatur, *c. l.* affirmans, *folia lauri lingua imposita multas aquas educere.*

S. 5. Præsupposito itaque, corpulentiam jam factam, tolli posse, superest modum scrutemur, quò id fiat. In hoc v. negotio duo imprimis sunt consideranda. 1. quo modo succus nutritius adeò consistentiam mutet, ut assimilandus spissior, evadat tenuior, assimilatus v. ex solido reddatur fluidus. 2. quo modo alteratus ita, per modo dicta, quævis loca, etiam ex remotissimis inde regionibus, evacuari queat. Prius quod attinet, mutatio ista texturæ & consistentiæ, formaliter non nisi per motum intestinum acceleratum fieri potest, quo à se invicem separantur particule, arctius nonnihil implicatæ, & in minutias exiles dividantur, antea firmi⁹ coagulatæ, & motu iste continuato fluidâ in consistentiâ persistent, quo undiq; facilius motu progressivo distribui queant. Duob⁹ hoc fieri modis, ferè observatur: 1. per simplicem liquationem eo modo, quo pingvia, mucilaginosa, gelatinosa, à quovis calore fluidiora fieri observantur. 2. per solutionem, eamque duplicem: *α*) eam quæ fit totius in minimas molleculas, homogeneas, adeoque partes totius integrales; eo modo, quo per menstrua quædam, sive respectu organorum nostrorum sensualium sint corrosiva, sive insipida, concreta duriora & solidiora findi quasi observantur, ut \odot per ∇ , *Gran. human.* per Spiritum \ominus . *Corallia* per $+$. *β*) est ista, quæ fit in particulas totius minimas, sibi in mixto heterogeneas, adeoque ut vocant elementares (scil. immediatas) est que propriè dicta resolutio, opposita formali seu seminali concreti coagulationi, fitque per principii coagulantis enervationem, unde concretum fatiscit denuò, quâ ratione per putredinem resolvivegetabilia, & animalia, & fatiscere in principia sua, 1. immediate 1. mediate talia, dicuntur. *Reelementatio* haud inepto vocabulo vocatur

vocatur à *Stransio* in *Epist. ad Dygbeum de pulvere sympathet. in Theatro sympathet. p. 135.* & in *Respons. ad exam. pul. sympathet. Deusingii ad p. 425.* dum colliqvationem istam, quæ in diabeticis fit, considerat. Prior modus simpliciter quæ etiam particularum, & aliquali corpusculorũ implicationi, 2^{dus}, fortiori unioni & arctiori cohesioni; 3^{tius} v. seminali mixtioni opponitur: & hic 3^{ti} in primis intelligi videtur, per colliqvationem humorum, in medico foro adeò usitatam: ut ut sub latiori sensu, omnes istos modos una comprehendat, ut pote quæ omnes, nunc seorsim, nunc idque sæpius conjunctim, sub colliqvatione & emaciatione corpulentorum locum invenient. Certè, dum frigidioris quæ sunt temperamenti, corpulentos magis commoda sub interpretatione (si nempe humiditas accedat) reddi, supra insinuavimus, ita ex opposito à calore excedente, præsertim febrili, liquefcere contenta quælibet, & tenuari magis, & sæ plus minus cum sint texturæ, non lecus ac ipsa pingvedo, nemo facilè negabit. Dum porro acriora quælibet assumpta medicamentosa, ut aromatica, diuretica, diaphoretica positiva, purgantia fortiora vegetabilia, attenuantia, incidentia, & omnia, quæ ad acridinem plus minus & sam contenta corporis disponunt, emacient quoque corpulentos, suspicari licet, acriores & inas v.g. diureticorum particulas solvere, menstrui instar nutritivam gelatinam, & spissiore sanguinis consistentiam, quæ in & acrimoniâ particularum suarum, cuneorum instar, findere, & affricatu suo, atterere pingvedinis, & carnis musculosæ texturam molliorem, nec adeò tenacem, adeoque hoc modo resolvere demò easdem. Ex hoc enim Urinæ diabeticorum mira dulcedo derivanda videtur, ex pingvedinis scil. aut roris chylosi liquefacti, cum & sibus Urinariis mixti, mutuâ temperaturâ & in dulcedinem vergente textura? De quo vid. pluribus agens *Willisius Pharm. Rat. Vol. 1. p. 164. & 172.* Dum denique à Mercurii usu, colliqvescit corpus, videtur probabile, præter summam ejus per quosvis poros meatusque penetrantiam, acerrimum ejus & externum, destruere penitus & superare & animale coagulativum nutrimenti, seu ab ejusdem acrimoniâ, adeò mutari concretum coagulati alimenti mollioris, pingvedinis

gedinis & carnis, ut efficiente vitali seu specifico coagulatore destructo, concretum resolvatur, in liqvamine aqvosi & viscosi consistentiam, hinc per convenientia cribra transcolandum & excernendū. Sicuti aliās Merc. præcipitatus, septicus est, & partis solidæ mollioris, in simile liqvamen, externo usu, resolutivus. Nam fætor cadaverosus qui in liqvamine per salivationem excreto percipitur, putredinis inchoatæ, & corruptionis, vitali & balsamicæ conservationi oppositæ, indicium est.

§. 6. Alterum istud, quod ulterius hic considerandum monuimus, est evacuationis modus materiæ colliqvatæ & resolutæ. Fit hæc mediante sero, seu latice, communi isto nutrimenti & excrementi vehiculo. Hoc uti consvetâ Naturæ lege imprægnatum est, Θ ibus M.S. superfluis, & inutilibus, quæ ceu recrementa digestionis secundæ, per Urinâ eliminat, & quorum medio, instar liqvoris saponarii, abstergit & abluit partes solidas, ne quid sordium à nutritione privata remaneat, quas sub formâ nunc sensilis transudationis, nunc insensilis transpirationis, foras excludit: Ita parili ratione, ejusdem beneficio, colliqvata, quævis materia, & ita vitalibus nostris heterogenea, & eatenus recrementitia reddita, & sive ex nutrimento adhuc assimilando, intra vasa, sive ex eodem jam assimilato, extra vasa genita fuerit, ac ubicunqve locorum substiterit, imbibitur, probeqve abstergitur, (idqve eò potentius, quò acrius & Θ ius, adeoque a culeatis pluribus particulis turgentius fuerit dictum serum) & communi humorum circulo, per universum corpus rapta, per loca convenientia, filtrationis modo, tandem transcolatur, ac seroso isto vehiculo involuta, foras emittitur. In quo negotio duo ferè concurrere solent: 1. proportio conformationis mechanicæ, quoad figuram & texturam particularum filtrandarum, cum ista pororum organi filtrationis. 2. irritatio quædam, plus minus sensilis, in loco filtrationis, à materiâ filtrandâ, cujus occasione stringuntur fibræ nonnihil, & refluxus integræ humorum massæ aliquantisper retardatur, unde lentiori sub motu, transcolandæ partes, fibrarum istâ stricturâ, copiosius trajiciuntur & quasi exprimuntur, donec quæ data porta excludantur.

Art. III.

Fontem Diæticum aperit.

§. I

UT jam specialius consideremus auxilia, istis scopis plus minus convenientia, eadem ex quibus fontibus Medicis haurienda veniunt Pro quorum selectu observanda imprimis differentia imminuendæ immediatè, vel carnosæ l. adiposæ substantiæ, præsertim adhuc assimilandæ. Nam carnosæ illius partis respectu, eaqvæ sangvinem strictè sic dictum magis afficiunt, respectu v. pingvedinis, quæ chylum magis tangunt, adhibenda. Sic enim sangvinis detractio, carnosiori habitui imminuendo, Lactis uberior emissior, pingvedinâ detrahendæ accommodatum magis auxilium. Auxilia hinc *Pharmaceutica*, magis adiposis, illa v. *Chirurgica* carnosis, *diætetica* pro selectus ratione utrisque æqualiter conveniunt; sic enim carnosis Lactinia & Osa, contra obesitas, carnosâ potius concedenda: istis cerevisia triticea, his hordeata propinanda. Eodem sub respectu, acriora & effectivè calidiora, sive alterantia, sive evacuantia obesioribus aptius respondent. Hinc Osa carnositas, quæ obesitas potius conducunt; & sic porro in aliis.

§. 2. Primus fons largiter media Diætetica subministrat, quorum legitimum regimen, vel ex supra dictis *cap. 1. art. 3.* sponte patet. *Aerem* quod attinet, uti chylum, in saliva deglutitus, & sangvinem, per inspirationem admissus, pro constitutione sui notabiliter alterat, ita, ut uterque magis l. minus temperatus, magis vel minus fixus aut volatilis, adeoque facilius aut difficilius dissipabilis evadat, Ita pro corpulentæ medela, subtilior, calidior, & ficcior, isque crebrius recentatus (si ita loqui liceat) in primis seligendus. Hujus n. medio, ut attenuari in nobis & resolvi, & quasi magis liquari solent contenta nostra quælibet, ita & motus intestinus intenditur notabiliter, unde acriora reddita eadem minus nutriunt, quin attenuata insigniter, promptissime tam sensibiliter, quam insensibiliter eva-

cuari apta nata existant. Non minoris efficaciz, propter easdem rationes, sunt Regiones calidiores, inprimis quæ Tropicis propinquiores: nec non solum arenosum, calidius & ficcius. Quo etiam referre licebit Aërem arte calefactum, ut balneum siccum, hypocauftum &c.

§. 3. Quemadmodum autem tam liquidarum & fluidarum, quam (suo modo,) solidiorum quoque partium consumatio perpetua, necessitatem nobis imponit, assumendorum indies alimentorum, quibus deficientibus in fame qualicunq; contabescit confestim corpus, ut loquitur Sylv. Prax. lib. 4. Tr. 5. §. 405: ita, ut iterum macrescant corpulenti nimis. Cibus & Potus quoad quantitatem sit parcus & paucus, de quo conf. Panarolus pent. 4. obs. 18. it. 32. qui pingvibus & obesius remedium optimum & infallibile asserit, abstinentiam à superfluo cibo & præsertim potu: Nulla n. res minuit majori celeritate & securitate pingvedinem, quantum subtractio humiditatis. Quoad qualitatem non sit temperatus aut nutritivus, quin potius frequenti condimentorum, in specie Ætheriorum acriorum & acidorum additione ita constitutus, & redditus medicamentosus, ut incidentem, attenuantem & resolventem, quin & diureticam quodammodo naturam acquirat, adeoque aut citò transeat, aut sanguini infusus, hunc similiter acriorem ac asperiozem reddat. Talia sunt, prout recensentur à Sylvio l. 1. Prax. c. 38. §. 6. †, succus citri, Spiritus Ætheris &c. piper, caryophylli, cinamomum, macis, zinziber, nasturtium, eruca, sinapi, raphanus quivis, & inprimis rusticanus. Plateus Tr. 3. prax p. 51 Piperis frequentem usum, maciem inducere, docet.

§. 4. Omnibus autem hoc in casu præpollet vinum degener seu acetum, de quo sane notabile est, quod ex Strada refert Catterieri obs. 13. p. 44 ejus usu, virum militarem, obesitate prætumentum, † continuato, 87. pondo, detumescente abdomine, decrevisse. Volatile enim ejus acidum, utut stimulum quodammodo addat appetitui, tamen fortius cibos colliquescere cogit, ut in ferosiozem, & visosiozem, ac asperiozem, minusque nutritivum abeant chylum: præterea tam sub digestionem in stomacho, quam extra eum in fine duodeni, attactu fermenti fellei, transmutatur plus minus in Æther volatile acere, ac fit insigne ab-

absterfivum, incifivum, tam fordium nocivarum, quàm etiam
 nutrimenti laudabilioris, & diureticum, unde crebriore & diu-
 turniore ejus ulu, fangvinea massa in specie latex aquofus, Θ fus
 volatilis, acrior, absterfivus & diureticus redditus, extenuando
 & refolvendo nutrimentum, fuccesfivè corpulentiozem habi-
 tum imminuet. Qvod si \dagger vulgare, volatili scyllæ Θ e im-
 prægnetur, & fiat \dagger scylliticum (de quo \dagger o scyllitico *Dura-*
stantes integrum confcripfit tractatum, utpote quod in maximo
 apud Veteres fuit pretio, adeò ut tantum non pro panacea ha-
 buerint, cum ex ulu ejus, primus illius inventor per omne vitæ
 tempus benè & falubriter vixiffe dicatur) quo & diuretica ejus
 virtus, omnibus cepaceis & alliatis fingulariter propria, inten-
 datur, & acrimonia penetrantior evadat, efficacius futurum eft.
 Hinc *Stephanus Med. Venetus, in operibus Medic. lib. Cosmet. p. 462.*
 nil peræque prodeffe dicit ad obefitatem tollendam, atque \dagger
 scylliticum, jejunè quotidie affumptum; ex eodem fonte & ab a-
 liis oxymel scylliticum commendatur, ficut aliis \dagger scylliticum
 in quo abfinthium maceratum, aliis \dagger rutaceum laudaffe pla-
 cuit. Quidam loco ordinarii potus ∇ chalybeatam, \dagger o tem-
 peratam propinant corpulentis. Qvod si \dagger à Θ cohobetur,
 & ita fortificetur, eò convenientius huic ului futurum effiet, quod
 ipfum obtineret pariter, fi Θ * ci modicum in Nitro folvatur.

§. 5. Somnus parcus, labor v. corporis afiduus, cum
 vigiliis infigniter convenit, fic enim alteratur fangvineæ maffæ
 crasis, eaque ex aucta fermentatione, fortiorique hinc calore
 fuccenfo, temperatis nutritivis partibus fudore difflatis, retorri-
 da eadem & acrior redditur, ut nihil apponat nutrimenti, mul-
 tum è contra abfumat. Quantum enim crebriora pariter, ac
 vehementiora corporis exercitia, pro corpore attenuando faci-
 ant, vel rusticorum ac mechanicorum testatur turba: quos inter
 raros carnofos, (benè autem ut fic dicam fibrofos ac nervofos)
 rariffimos obefos, cernere licet, quamdiu confveta fcil. Vitæ obe-
 unt munia. Adeò fudore tenus diffluit, quicquid fub parcâ fo-
 mni quiete folidis partibus, pro irroratione earum, ad facilitatio-

nem motus, aspergitur, ut citra uberiorem assimilationem, per habitum porosum corporis denuo excernatur : id quod confirmat, supra c. 1. art. 3. §. 3.

§. 6. Propterea quoque sedulo opera danda, ut vix istæ, per quas quarumvis digestionum excrementa emittuntur, nequaquam sint obstructæ, sed potius quotidie patulæ, imò solito laxiores & apertæ, quo de succo nutritivo, sub excrementi tegmine, portio quædam unâ eliminetur. In quem finem transpirationis loco, crebrior sudatio in specie conducit, ut modò insinuat, sic enim immediatè magis habitus corporis exhauritur, & quod carni vel pinguedini impendendum foret, ita glutinosioris sub sudoris larvâ excernitur. Quis quoque exercitium crebrius repetatur, quo enim major nutritivi roris portio, pro reparando seminis dispendio ad testes abripitur, eo partes alias magis defraudari eodem palam est : quin & Spirit. animalibus speciatim sic copiosius exhaustis, totius corporis functiones tam motivas, quam in specie nutritivas vacillare necesse est. Referendæ huc & aliæ excretiones extraordinariæ, mensium, hæmorrhoidum, aliarumque per loca alia hæmorrhagiarum, quæ tantum abest, ut cohibendæ sint, ut potius omni ope promovendæ, in quem finem, interno usu, vix croci ac myrrhæ auxilia quicquam superare arbitramur : adeò hæc quasvis hæmorrhagias provocare apta nata sunt : fanè mulierem novimus delicatioris texturæ, cui croco, cum molâ parvâ attereretur, odor diuturnior, ex fonticulo cruris sanguinem copiosum effluere fecit. Pertinet huc, & lactis uberior in mulieribus excretio : cum quantum ejus usu pingvescant infantes, tantum ipsis detrahi omninò necessarium est.

§. 7. Tandem huc pertinent animi affectus, & motus, quæ mediantibus Spir. uti insigniter contenta corporis alterant, ita ad corpulentiam imminuendam plus minus conferent. Præcæteris autem id efficit gaudium magnum, ac effusum : & hinc imprimis incandescencia concitator : utrumque pathema autem & crebrius & intensius sit, si scopum præfixum attingere debeat. Gaudia magna quidem & effusa, Spiritus attenuant & diffundunt.

clunt, & acuendo per acceleratum intestinum motum, contenta corporis, acriora & asperiora adeoque quasi Salfiora eadem reddunt, unde minor nutritio, sed potius nutrimenti colliqvatio. Ex candescencia v.uti cruditatibus pituitosis corrigendis apprimè confert, in statu p.n. quas quasi coqvit ac maturat, seu attenuat & resolvit, & partim nutritioni, partim excretioni, aptiora reddit, unde & chronicis in malis subinde remedii loco est, & in specie mensibus l. parcius l. penitus non fluētibus confert, ità in corpulentioribus, liqvando contenta nutritiva, & attenuando, eadem ac ad successivam excretionem disponendo, & ex asperando seu acriora reddendo cætera fluida, multum ad habitum crassiorum deponendum facere solet.

ART. IV.

Remedia è fonte Pharmaceutico haurit.

§. I.

Fonte diætetico jam relicto, rectà tendimus in Pharmaceuticum, qui varia nobis suggerit remedia evacuantia. Ex hisce autem eligenda ea potissimum, quæ simul etiam Mammam Seam alterant, eamq; attenuant ac resolvunt, & speciatim laticem serosum, (ejusque contentam gelatinam chylosam) in eo vel fundunt, vel acriorem efficiunt, indeque absterfivum & glutinosi cujusvis plus minus attenuativum, ac colliqvativum & hinc vasorum excretoriorum simul stimulativum reddunt. Hæc inter evacuantia primum locum obtinent, *purgantia*, quorum fortiora, mediante acrimoniâ maligna, & colliqvæ factiva, cum promiscuè tam vitiosa excrementa, quam utiles nutritivos succus, sive assimilandos, sive jam assimilatos, adeoque ipsam tandem, certâ ratione, solidam substantiam resolvant, & sub putrilaginis fœtidæ formâ educant, ut pluribus docuit *Helmont: in suis scriptis, in specie de Febr. c. 5. & Cnœfelius Meth. Med. Febr. epidem. exerc. 3.* potentissimè corpus emaciabunt. Sed quoniam non omnibus æque conveniunt, quin interdum quibusdam gravia mala inducant, cum *helleborum* insequi convulsiones, jam olim *Hipp. in aphor. notaverit, Scammone-*

neatum pharmacum vero, hypercatharsin periculofam, apud *Helmont. cit. l. 5. 13.* induxerit, febres periculofas in aliis fortiora purgantia accendant, *Gabelchov. Cent. 6. cur. 26. & 27.* alios ad hydropem & leucophlegmatiam disponant, teste *Poterio Cent. 2. cur. 29.* adeoque non femper sine periculo propinentur, metu gravioris mali, potius ab iis abstinendum. Blandiora tamen nonnulla purgantia, in specie aloëtica, non lota, (lotione ne eorum virtus castratur) commendantur, five sola, five aliis amarificantibus, in specie myrrhâ, mista: quæ ipsa uti & alia amara, v. g. absinthium. gentiana, Centaurium minus. ut balsamicâ quidem virtute corpus Massamque Sangvineam condiunt; ita simul potenter exficcare dicuntur, quatenus deterfivâ amaritie valide succos nutritivos attenuant & dissolvunt, potenterque abstergunt, simulque bilem acuunt, forsan & augent, eamque acriorem & amariorem, adeoque respectu chyli & sanguinis, simili modo alterativam, hoc est attenuativam, reddunt, eo ipso sane corpus ad emaciationem multum disponent. Quo major n. bilis acrimonia, eo magis nutritio impeditur, minor vero eandem promovet. Quam etiam ob causam in fœtu dum partes celerius crescunt, bilis sæpius insipida plane observatur. *Vid. Colleg. Therapeut. Excellentiss. Dn. D. Bohni Patroni ac Præceptoris mei summè colendi Part. 3. Art. 2. §. 3.* Ad nostrum hinc scopum, Pilulæ quæcunque aloëticæ, in specie de Tribus, it. ex hieris confectæ, usurpantur, quarum loco & elixir proprietatis vulgare, multum differens ab eo, quod *Paracelsus* beneficio liquoris alkahest paravit, aut quod *Helmont*, tanquam succedaneum hujus, artificiosâ digestionem concinnat, substitui potest. Unde etiam *Fernelius*, vir experientissimus & magni judicii atque ingeni, prout audit *Conringio introd. in art. Med. p. 146., consil. 15.* ad obesitatem nimiam, pilulas ex Rhabarbaro, alöe & agarico confectas, curandam proponit. Pertinent huc quoque pulv. *Hypactici*, ex senna & aromatis acrioribus compositi, ad obesitatem nimiam non inconcinne descripti à *Velschio in Hecatoest: 2. obs. 61 p. 34.* it pulv. purgans expertus *Foresti l. 31. obs. x.* *Platerus multiscius Prax. Tr. 3. p. 51.* pilulas ex amaribus paratas,

ꝯ pondere, singulis matutinis fumendas, tales præscribit: ꝯ
Rad. aristoloch. gentian ana ꝯj. rad. rubiæ summit. Cent. min.
an. ʒʒ. O. ꝯj. cum succo polypodii l. cariophyllatæ F. Massa. Fa-
ciunt huc Electuaria ista bina, ex aromaticis acrioribus parata,
corpulentiam nimiam, *Antipiotis* ob id dicta, & descripta contra
à *Ferdinando. Hist. medic. 82. p. 274.*

ꝯ. 2. Diuretica porro sunt primario, quæ obesitas conveni-
unt, eaque speciatim Θ ina, quæque blande & leniter eos emaci-
ant, ut superius dictum. Primatum in hoc puncto obtinet ace-
tum siccum, ut vocatur *Billichio*, seu potius concentratum,
nempe Φ us, seu Θ istud enixum ex \dagger do vini & facibus ejus
alca linis Θ is solutis enatum, quem in primis *Epiph. Ferdinandus*
c. l. specificè commendat, quod potenter absumat pinguedi-
nem, corpus laxet & primario \square as promoveat. Eadem scil. de
hoc ipso coagulo Θ ino dicenda veniunt, quæ supra de eodem
 Φ o liquido, hoc est, \dagger o, asseriebantur, dum pari modo reso-
lutum in stomacho, & successivè mutatum in Θ sum volatile,
insigniter abstersivum & deterisivum, \square æque provocativum e-
vadat. Sufficit autem crudus & superficialiter saltem depu-
ratus, crebra solutione & crystallisatione clarificato præferen-
dus, his n. præparationibus non parum de volatili sua aciditate
amittit. Sunt, qui arcani instar, contra obesitatem nimiam,
commendant pulverem ex Φ i depurari & cymarum aut julorum
coryli verno tempore excrecentium æqualibus partibus para-
tum, mane & vesperi, sub introitum lecti, quantum cultelli cu-
spis capit, \dagger prius irroratum, assumendum. *Platero deco-*
ctum julorum coryli in vino factum commendatur Prax. Tr. 3.
p. 51. Forestus Alemarianus, vir multe lectionis, & Practicus felicisssi-
mus, autore Conring. c. l. p. 148. l. 31. obs. x. de quodam aurifa-
bro narrat, eum tanta crassitie laborasse, ut ferè expiraret, cu-
raturum verò fuisse hoc Pul. ꝯ. Tartar. ꝯij. cinamom. ꝯiij. Zingib. ꝯj.
Sacch. ꝯiv. M.

ꝯ. 3. Post Tartar. est Θ , non infimi subsellii remedium,
& ipsum elegans sanguinis alterativum, & nutrimenti abundan-
tis resolutivum, & per Urinas eductivum. Hinc Θ optime

depuratum, seu flores *Mynsichti* p. 26. in usu commodo erunt. Tartar. item *Nitratus Bartoleti*: tr. de respirat. l. 5 c. 1. qui ceu singulare febrifugum ab eodem commendatur, & singulare diureticum: revera autem nil aliud est, quàm Nitr. ex proprio Spiritu in alcali tartari regeneratum. Ratione Nitri, & diaspoliticon Galeni, dictus officinalis pulvis, à quibusdam pro arcanissimo habetur contra obesitatem: quo ipso aliàs pulvere, in totâ officinâ pharmaceutica, nobilius vix reperiri remedium, contra affectum hypochondriacum, & natam exinde melancholiam, hypochondriacam, non tantum à *Bartoleto* c. 1. l. 5. c. 4. p. 431. sed etiam ab Archiatro quodam, Regio Danico, D. J. ceu frequenti experientiâ confirmato his ipsis in malis, assertum fuit. Nitr. ipsum crudum, non reformidandum, modo per Sal ammoniacum depuretur legitimè ab excrementitio ☿ ipsi frequenter adhaerente. Relationi amici debemus, quod catellis, maturè ab uberibus matris semotis, si Nitr. in lacte vaccino, ceu alimento, dissolutum crebrius propinetur, eorum incrementa corporis multum impediri, eosque ita parvulos, ludis jocosque aptiores, continuò permanere. Pertinet huc Nitr. ☉ latum, h. e. arcanum istud duplicatum *Mynsichti*, seu ut aliàs appellatur, *Panacea Hollatica*, vid. *Schræder. Pharm. Med. chym.* l. 3. c. 23. p. 466. 474. & *Mynsicht. Armament.* p. 10. remedium profectò laudatissimum, præter usum enim ejus contra corpulentiam nimiam, in malo hypochondriaco, febribus intermittentibus, ipsaque etiam scandalosâ quartana, & mulierum affectibus, it. in scorbuto, calculo etc. remedium revera polychrestum existit. Somnum nonnihil conciliare simul deprehenditur, id quod non immeritò aliquali participationi de ☿ ☉ anodyno adscribendum videtur. Sugillat quidem nobile hoc remedium *Zwelferus Mantiss. Spagy.* p. m. 407. sed ipse insigniter hallucinatur, ob neglectum legitimæ præparationis, si enim ejus vestigiis insistere velis, non desideratum Sal. duplicatum, sed ☉ licum vomitivum accipies. Sal. n. istud duplicatum, ex ☉ ☉ elixiviatum, ☉ licum sanè primitus & nauseosi saporis, per repetitas in crucibulo fusiones, solutiones in ☉, filtrationes & coagulationes, eo usque depurandum, do-

donec Sal. candidum, ex insipido amarescens, acqviras : quarum in advertentia atperas istas *Zuvelsero* extorsit censuras.

§. 4. Oli injecta mentio & hujus usum contra nimiam obefitatem in mentem vocat, in specie si ejus Spiritus seu stagma acidum copiosius usui petur, aut cum eodem paratus Tartar. Qlatus : Artificiosa tamen ejus in crystallos Salin. coagulatio, reliquis in hoc casu præparationibus præfertur. Singularis experimenti rationem habere dicitur ∞ Oli, super Δ δ ii affusum, indeque per Retortū destillatum, cujus destillati gutt. 8. l. 9. in ∇ rosarum assumta & sæpius reiterata, cujusdam viri obefitatem, qui 4. ulnarum circumferentiam habuit, in tantum diminuit, ut 5. ulnæ quadrantum macrior redditus fuerit : de quo experientia confirmatio attendenda. De Olo vero dum loquimur, acidularum se offert potus, cum Qlum σ tis sit, quod animam earum constituit : hæ ipsæ n. crebrius & diutius haustæ, pariter crassiores extenuare solent, id quod alias præter causas, vel copiosior Urin. fluxus pariter præstat. *Timei* est observatio *Lib. VI. cas. III p. 263.* ∇ rum talium Oe, \odot & \mathcal{J} (ut ipse quidem enumerat) turgidarum potu, quendam obefiorem corporis habitum manifestè imminui & decrescere sensisse : idque toties, quoties, id quod annuatim fiebat, his ipsis uteretur : Egranas v. acidulas, externè adhibitas, corpulentiam nimiam imminuere *Macasius c. 9.* autor est. Nec immerito Thermæ exsiccantes, & potæ & pro balneo adhibita, ceu utiles laudantur à *Sennerto p. 25.* modo appetitui, qui potu earum, non secus ac acidularum, mirè intenditur, minus satisfiat, sic n. duplicatâ ope, detrahendo, nec restituendo, talibus succurritur. Ut taceam harum extrinsecus admotarum ope, stringi & corrugari plus solito fibras, arctariq; ita & angustari partium poros, quo ipso copiosioris nutrimenti receptio necessario impeditur.

§. 5. Ex regno vegebabili, præ cæteris simplicibus semen fraxini, seu ut ratione figuræ aliàs appellari solet, lingua avis, insigniter commendatur : adeò ut *Ferdinandus c. 1, p. 274.* istud ceu ultimum contra obefitatem nimiam deprædicet remedium, quod etiam hydropem curet, dos. ʒj. propinatum in vino. Nec

est, quod mireris talia præconia, magna namque in herbis virtus, potensque in iis energia: in primis quæ in semine earum concentrata delitescit. Hoc ipsum verò præ cæteris diureticis & lithontriphicis caput extollit adeò, ut istud contra calculum sufficienter laudare vix queat *Glauberus Pharmacop. Spagy. p. 1. p. 23.* Eodem ex fundamento celebratus adeo ab *Helmont: betula* succus diureticus, obesis futurus esset proficiuus, quod aliquando tentandum foret. Italis quibusdam, singularis remedi loco, ad curandos infantes nimis obesos, ita ut vix respirare possint, est hæc mistura: R. Sem urticæ ʒj. pulvereifat. subtiliter misce cum mellis ʒiv. hujus mixturæ cochlear j. vel 2. si paulo sit grandior propinant infanti, felici cum successu Ratio eadem hic subest, nam urticæ semen legitimo modo & tempore collectum, mirabile est diureticum, singulareque lithontripticum. Terebinthina silentio prætereunda non est, cujus tanta eum Urina intercedit familiaritas, ut violacea sruavitate Urinam imbuat: de hac refert *Forestus l. 31. obs. x.* quendam valdè crassum & articulari morbo obnoxium extenuatum & curatum fuisse per pilulas de Terebinthinâ cum saccharo, harum s. l. 7. duabus horis ante prandium quotidie recipiendo. Agmen tandem vegetabile claudat Sandaracha Arabum, seu gummi juniperinum, nam Sandaracha Græcorum, arsenicali virulentia infestum est, & ob id hic exulet. Gummi hocce, ceu vitale balsamici Juniperini fructicis nectar, originem suam olet, & ita non tantum balsamicâ juniperi virtute corpustingit, sed in specie laticem vofum M. Sææ acuendo, quicquid fordium invenit, per □ evacuat & etiam alimenti superfluitates unâ exhaurit. Laudè hinc merentur Pilulæ Mynsichti de Sandaracha dictæ, quæ totæ insigniter diureticiæ & deterfivæ, contra obesitatem singulariter commendantur, & ceu expertæ laudantur: cum oxymelite ʒß sandarachæ, sæpius danda à *Platero* proponitur: *Prax. Tr. 3. p. 51.* Plura de diureticis his proficiuis ex regno animali, in specie de lumbricis, asellis, scarabeis, cantharidibus etc. dicere possem, nisi talia ceu in Vulgus cognita, præsupponerem.

§. 6. Diuretica excipiunt sudorifera, quæ inter lignorum usita-

usitata decocta vulgò referuntur, quæ aromaticâ suâ acrimoniâ,
 attenuando M. Seam, ejus circulationem rapidiorem reddunt,
 unde superfluum alimentum sensim liquefactum, seroque de-
 nuo imbibitum, sensim per poros corporis excernitur. Id ab
 omnibus observatur in Cura gallicæ Luis per diætam sudorife-
 ram, in qua ægri non parum emaciantur. Rationem methodi-
 cam, quâ per lignorum decocta, præmissis sanguinis debitis de-
 tractionibus, curandi sint obesi, delineat *Casus I. Lib. 6. à Timeo*
consignatus. Hinc super Sarsaparillæ radicem extractus est
 Pulv. compositus *Ferdinandi*, contra obesitatem, quem aliis præ-
 fert, & quo se felicissimè usum & Salib. theriacalibus æqui polle-
 re asserit: Rec. Pulv. Sarsaparillæ ℥j coriandri, anisi, cinamom.
 caryophyll. ana. ʒij calam. aromat. ʒj. ꝑi ʒß. Sacch. alb. q. s.
 F. Pulv. in cujus locum forsan substitui poterit iste à *Sennerto* lau-
 datus *c. l. p. 25.* Decoctis talibus aut Pulv. essentiæ lignorum cum
 Spir. sambuci paratæ, pariter succenturiantur. Æia theriacalia
 commendari solent à quibusdam, de quibus videatur *judicium*
Zwelferi, & quæ contra hunc acute differit *Tachenius in Hippoc.*
Chym. quorum tamen loco potius Pulv. viperinos, tam simplices,
 quàm pro scopi varietate diversimodè compositos, cum exper-
 to *Velschio c. l. Hecatost. 2. obs. 61. p. 36.* commendamus. Æia alias
 fixa quæcunque ut & volatilia, tam quæ cervinæ calvariæ fructus,
 quàm quæ viperæ suppeditant, valdè hic conveniunt: non minus
 quàm Æ vol. succini, elegans sudoriferum, & potens diureticum:
 qualia Salia acria hoc in casu convenientiora sunt sudoriferis
 fixis, ex minerali regno in specie giali familia paratis: cum illa
 positivè magis operativa existant.

ART. V.

Fontem Chirurgicum libat.

§. 1.

INstrumentis jam Pharmaceuticis M. Seam colliquesfaciendi,
 chylumque laudabilem, & inde corpulentiam nimiam minu-
 endi non sufficientibus: Videndum an Chirurgia quoque a-
 liqua nobis queat suppeditare hunc in finem utilia. *Quan-*

quam vero *Venæsectio* nequaquam unicum fermè, ac optimum remedium, in quibusvis affectibus curandis, juxta Parisienses Medicos plerosque, *Sylv. App. tr. 9. §. 242. p. 809*; Nihilominus tamen in nutritione aucta iterum imminuenda, idque speciatim carnosiori in habitu, eandem multum præstare, quin utramque complere paginam, testatur, confirmatque pariter experientia. Quippe primarium Venæsectionis similiumque sanguinis detractio- num indicans est sanguinis laudabilis copia uberior. Et quem- admodum per Venæsectionem, sive simul ac semel fiat, sive, quod melius, pro unius cujusque constitutione peculiari & viribus, per iteratas vices instituat, sanguinem immediate detrahimus, ita cum eodem emisso nutritium chylosum succum pariter cito tu- toque, utut secundario immitti atque exhauriri posse, nemo, credo, est, qui neget.

§. 2. Vicarias phlebotomiæ vices, subeunt *Cucurbitule scarificatae*, ac *hirudines*, variis in locis applicandæ, quæ eò crebrius re- iterari, & eò plures adhiberi possunt, quo minori, saltem non a- deò subitaneo, virium cum dispendio, in usum vocari possunt, sive solitariæ adhibeantur, sive accedente locorum vulnerato- rum frictione cum Sal. & Acet. ad imitationem nempe *Zacuti Lusitani*, qui quantum hujusmodi hæmagoga auxilia corpulen- tioribus conducant pluribus ostendit *Lib. 3. Prax. Admir. obs. 112.*

§. 3. Suum pariter inveniunt locum & certum usum habent *Cauteria*, tam actualia, quam potentialia, & cum his para- tæ fontanellæ, ceu ulcera artificialia, quo ampliora & copiosiora, eò pro præsentis scopo, utiliora: hæc enim promiscuè quicquid inveniunt humoris alluentis, colliquescere faciunt, & ita etiam, successivè nutritium succum in forma liquoris purulenti ex- hauriunt. Id quod pluribus ostendit *Helmont. tr. Cauterium*: ut- ut in cacochymicis, cum paucò nutritivo, plus excrementitii e- liminando, à posteriori quasi, alios plures usus obtineant.

§ 4. Ad efficacem hanc Medicinæ partem referenda vi- detur etiam *adipis detractio*: cujus *Plinius* & ipse solus *l. II. c. 37.* mentionem facit, dum inquit: *L. Apronii Consularis viri filio, de- tractos adipem, levatumque corpus immobile onere.* Juxta hunc, quem

&

& alii, qui rei hujus mentionem faciunt, unicum allegare solent, videre licet in scripto Germanico *Anonymi*, *Chur und Fürstl. HeldenSaal*. p. 221. relatio non abludens à præsentis negotio. Verba sunt hæc: *Dedo VII.* der Feiste/ &c. &c. als Er mit Keyser Henrichen VI. nach Italien zu dessen Hochzeit reisete / und Ihme unterwegs das Schmeer/ so Ih: b. schweret/schneiden ließe/ ist Er bald darauff/ Anno Christi 1190. gestorben. Scilicet hoc ipsum est, quod refert *Elias Reisnerus Genealog. Basilic.* p. 275. de Dedone V. Comite Rochlicio, propter nimiam, obesitatem crasso cognominato, quod antequam cum Henrico VI. Imp. militatum iret in Apuliam, arvinam corporis Medico secundam, præbuerit. Res nempe, nostrum quod attinet negotium, eadem, circumstantiæ utut variant. De *Sanctio*, post Obitum Fratris *Ordonii III.* Rex Hispaniæ electo, cum ob nimiam pinguedinem ad regni officia ineptus esset, excisionem etiam pati de crevisse, sunt qui referunt. De quo posteriori tamen apud Rerum Hispanicarum scriptores altum est silentium, qui potius referunt, nominatim *Rodericus Ximenez Archiepiscopus Toletanus de Rebus Hispaniæ l. V. c. x.* & *Joh. Marianus de Rebus Hispaniæ l. 8. c. 7.* Sanctiam ad Abderrhamanum, Maurorum Regem, Cordubam se contulisse, ibique ab illius Medicis, cujusdam herbarum virtute, extenuata arvinam, corpus ejus ad competentem habitum & agilitatem debitam perductum fuisse: Quod utut per veneni propinati virulentiam, factum quidam suspicentur, confundunt tamen medicamentosam hanc Obesi Sanctii extenuationem, cum veneno lethifero, ipsi à Fernando Gundisalvi Castellæ comite, in pomo medicato exhibito, cujus vi tertiâ die Rex, qui jam ab aliquot annis extenuatus regno præfuisset, extinctus est. Constat, itaque per adipis talem detractionem quid *Plinius* intellexerit. Abdominis videlicet incisionem, pro imminuendâ & tollendâ pinguedine, illum innuere, autor est *Epiphanius, Ferdinandus in Histor. Medic. 82. p. 273.* quo etiam inclinare videtur *Sennerius l. 5. Prax. p. 24.* qui remedium hoc sævum, nec quemquam facile admissurum, ille vero curationem periculosissimam & timore maximo plenam asserunt. Certe cum nullibi apud Medicorum

rum Patriarchas, Hippocrat, Galenum, Celsum, Paulum, Avicennam e-
jusdem fiat mentio; nec modernorum Chirurgorum ullus,
quicquam de eadem consignarit, incertum quoque sit, quomo-
do, si de manuali operatione interpretanda sit, instituta & cujus
partis an pinguedinis subcutaneæ saltem, an v, omenti nimis
adiposi excisione peracta fuerit, propterea nec nos de re vel
de perditâ vel vix imitanda plura verba facturi, hic facimus.

F I N E M.

Differis haut *crassâ* de *crassa* carne Mi-
nervâ,
WIDMANNE, & Medici das bo-
na signa novi.

Quid precor? Esto alius distento
corpore *crassus*,

Tu *crassus* meritis divitiisque fies!
properab.

CL. Dn. Widemanno

prosperrima quæque comprecatus

L. Joachimus Fellerus. P. P.

Magnus Aristonides sectatus castra Dea-
rum
Pieridum, pleno corpore pingvis e-
rat,

Atque

Atq; videns pingve haud subtilib⁹ artib⁹ aptum
Esse, sed insipidum corpus & illepidum,
Selegisse locum perhibetur robore cinctum,
Et qui vicinis palluit ater aquis,
Detraheret quo praegravidam & tardam sibi
molem,

Ne daret haec vincla, haec ne juga serva daret:
Sed quo animus subducti habitator corporis in-
gens

Iret, Coelipetax quo impetus hanc traheret.
Esse videbatur quod tunc, WIDEMANNE Pla-
toni

Causa moræ, hocce Tibi datque fovetq; decus.

Corporis immodica non quod sis mole gravat⁹;
Molem sed lustres corporis immodicam,
Et quod Discipulis ejus celeberrimæ Athenæ,
Hoc Tibi Præclaris Lipsia foeta Viris.

Docto hic colloquio monstras quæ sit Tibi curæ
Spondeat ut Venerem vester Apollo suam.

Non negat, expecta, præstò est, quamque inti-
mus ardes,

Ipsa Hygia Tibi debita ferta feret.

Domino Autori ac Fautori Cognatoque
dilectissimo fausti ominis ergo, pingvi
quidem Minerva, sed sincero adfectu
scribebat

CONRADUS TROMMERUS, Cant. Plaviensis.

G

Mein

1.

Wein Freund gedenck ich an die Stunden/
 Da uns in zarter Jugendt blüth/
Ein bandt der Freundschaftt fest verbunden/
 Da unsre Sinnen und Gemüth/
 In einigkeit verknüpfset wahren/
 Bereit für mehr als fünfzehn Jahren.

2.

So mus in Wahrheit ich bekennen.
 Ich spührte damahls wie dein Geist/
 Schon auß begier fing anzubrennen/
 Zu lernen was dich allermeist/
 Für andern weiß herfür zuziehen/
 Wahr nur dein einiges bemühen.

3.

Und also musste sich vermehren/
 Dein fleiß in der erhitzten Brust;
 Hippocratis, Galeni Lehren
 Vergnügten dich mit höchster Lust/
 Du suchtest hier bey diesen Linden
 Den Grund der Wissenschaftt zufinden.

4.

Die Probe ist dir nun gelungen /
 Die Früchte zeigen deinen fleiß;
 Wornach du Nacht und Tag gerungen
 Was dir erwecket manchen Schweiß.
 Vollführe was du angefangen
 So wirstu deinen Wunsch erlangen.

5. Der

5.
Der Himmel mehre dein Glück /
Er gebe was dein Herz begehrt /
Daß künfftig dir ein Meisterstück
Nach deinen Willen sey beschert
Er wolle dich auff allenseiten
Mit vollen Segen stets begleithen.

Glückwünschendt schreibe dieses sei-
nen treuverbundenen Freunde

I. B. MYLIUS.

Wie? Nimbt Er sich denn vor zu reden und zu-
schreiben
von großer Corpulenz / ô mehr als mein Achat /
Daran sich wenig noch bis dato wollen reiben /
Ob gleich die Morta schnell auf sie gestürmet hat?
Lauf Fama / sag' es an / damit Er eingenommen
Mit gutem Fuge werd' in der gelehrten Welt /
Lauf Fama / lauf geschwind / darûm hastu bekommen /
Die Flügel / das es nicht zu lange sey verhölt.
Fürwahr man höret Ihn allhier schon gratuliren
Das Vaterland / das theils die Curen hat gesehn /
Und theils noch sehen wird mit guten Glücke führen /
So von dem großen Arz' / Ettmüller / herentstehen.
Hygea zeigt schon die höchste Ehren Trone /
Womit sie zieren will Sein wohl gelahrtes Haupt:
Apollo ist bemüht / daß er vor seinem Thron
In kurzen möge stehn bekränzet und belaubt.

Doch ist Sein wille erst durch Reisen zu ergründen /
Das / was Italien vor Schätze in sich hält /
Was vor Annehmlichkeit in Frankreich ist zu finden /
Und / nach Gelegenheit / wie Holland ihm gefällt ?
Wohl an Er ziehe hin / wilt es Fortuna haben /
Ihm sey Miner va hold / der Sinnen Meisterin /
Prins Jebus gebe Ihm noch mehr von seinen Gaben /
Die Er schon reichlich hat ! Wohl an Er ziehe hin.

Ita Nobilis. D N. Candidati, Amici at-
que Fautoris svavisfimi, propediem
futuris peregrinationibus priscum fe-
lix ac faustum acclamat

Christian Zschürner Ger.
Med. Stud.

